










LUGDUNI BATAVORUM.
Apud THEODORUM HAAK. MDCCX.

FABULÆ ANTIQUÆ

Ex PHÆDRO fere servatis ejus verbis desumptæ, & soluta oratione expositæ.

Inter quas reperiuntur nonnullæ ejusdem auctoris & aliorum antea ignotæ.

Accedunt

ROMULI FABULÆ ÆSOPIÆ

Omnes ex MSStis depromptæ, & adjectis notis editæ

AB

JOH. FREDERICO NILANT.



LUGD. BATAV.

Apud THEODORUM HAAK, 1709.





GENEROSISSIMO SPLENDIDISSIMOQUE COMITI AC DOMINO

D. ADOLPHO HENRICO

S. ROMANI IMPERII COMITI DE RECHTEREN, LIBERO BARONI DE ALMELO ET VRIESENVEEN ETC. ZALLANDIÆ SATRAPÆ, NOBILIUM TRANSISALANIÆ PRÆSIDI, ATQUE INDE AD FOEDERATUM BELGII CONVENTUM EXTRA ORDINEM MISSO, SIMILITERQUE TOTIUS REIPUBLICÆ AD GERMANIÆ PRINCIPES ET CIRCULOS LEGATO

S. P. D.

JOH. FREDERICUS NILANT.



Nter multiplicia instrumenta, quibus excoli & deliniri humanam indolem facillime opinabantur antiqui, primas ut plurimum obtinuit fabulosa narratio. Non eam

dico, cui indulserunt poetæ & mythologi, quippe quæ multa obscuritate historiam refert obnubilatam. Sed cujus fictis jocis ignaram juventutem in meliorem viam reducere studebant; vel justitiæ æquabilitatem cum aperte propugnare temporum iniquitate prohiberentur, quibusdam involucris occultatam consultantes in curia senes, & omni in loco & occasione cujuscunque ætatis homines docere & instruere. Et quum sic comparatam viderent hominum naturam omnium, aliena ut melius videant quam sua, & tamen odiosum esset ex aliis nominatim exempla sibi sumere, unde suam infamiam vetus scena traxit, idcirco ita personatos actores

res introduxerunt, ut accommodatis ad eorum naturalem instinctum sententiis adumbrata veritas elucesceret.

Cujus pulcherrimi inventi quanto majora emolumenta deprehendit polita ratio, eo frequentiora occurrunt in veterum scriptis illius materiæ specimina. Nam, ne ad sacra nostra accedam, vel celeberrimum ex Phrygia fabulatorem arcessam, unam Socratis & Platonis doctrinam respicio, quæ ab hoc leni exercitationis studio non parum ornamenti mutuata est; & sive ad austeram & tædiosam aliquando vitæ institutionem præcepta daret, hoc papavere & sesamo sparsam disciplinam condivit: sive reipublicæ salutarem

administrationem tractaret, ne tunc quidem ab talibus neniis abstinuit. Et quid mirum cultissima Græcorum ingenia, quæ plenissima doctrinæ copia abundabant, hoc artificio uti, si etiam rudes & bellicos Romanorum sensus in turbulentissima republica pellexit hæc lenitas?

Non mihi animus est, Excellentissime Domine, multo ambitu (nam cui non dictus Hylas?) fabularum commendationes venditare, vel ab uno Phædro, cujus ingenii beneficio pleræque inter has debentur, notissimas & multoties expositas. Sed ut rationem reddam, quo consilio libellum præscripto Nominis Tui illustris titulo decorare, & simul amota hu-

humilitatis fordiumque fuſpicione, Te ab graviſſimis rebus, quibus diſtrictus patriæ cauſam eximia prudentia & ſapientia juvandam ſuſcepiſti, ad otii noſtri ludicra deducere ſim auſus. Eſt enim hoc tempus viris, armis negotiisque incitatiſſimum, quo patria maxime intenta, ut infenſiſſimi hoſtis vires, cujus ferocem pertinaciam tam diu tulit, frequenti legatorum etiam conſilio feliciter & cito quantum poteſt, retundat; & agnoſcens quid probatæ inter bonos moderationi Tuæ deberet, ſemel iterato legationis ampliſſimæ decreto defungi ſatis non habuit: ſed perpenſis priorum munerum officiis rectæ ſolidæque rationis ſcopo peractis,

con-

continuam eam flagitando quasi compensationem inire voluit.

Verum non id roboris atque nervorum mihi arrogo; ut justam tantæ rei commemorationem exordiar. Itaque illius etiam considerado me ab offerendi libelli proposito deterrere videbatur, ne forsan ejus accessum minus tempestivum faceret ejusmodi negotiorum varietas. Sed præter materiæ simplicitatem & hiberni aeris laxamentum, quo hæc Musarum tranquilla gaudia ab reliquis curis non adeo aliena fore persuasus sum; me confirmavit illius temporis recordatio, quo tantopere fervebat amicitiæ favor, in cujus honorificum usum Avum & Patrem admiseras.

tas. Quare ipſa jam pueritia mea quoties non ab ore paterno pependit, quando iſtam benivolentiæ copiam memoria recolebat? qua excitatus & animo præſagiens lætum illud horæ momentum, quo in tantæ felicitatis munus & ego ſuccederem, continuo optabam. Ab cujus voti complemento antea me repulerunt Academica ſtipendia, nunc etiam litterarum illecebræ, quibus captus earum ſcientiæ ulterius fovendæ gratia ad eandem ſedem reverti. Ubi quum harum fabularum donario, quominus factum mutem, me proſequutæ ſint, exercitia mea in familiarem clientelam inſinuare, & teſtificandæ obſervantiæ teſ-

ſe-

ſeram in elegantiſſimo prætorio Tuo affigere, avita paternaque veſtigia, quibus tam facile patebat, ſublegenti mihi licere putavi. Recipe ergo quodcunque adfero, & patere me benigna ejus admiſſione penetrare in partem favoris Tui. Vale plurimum, Excellentiſſime Domine, & fulgorem ſplendidiſſimæ Familiæ quotidie ſe exſerentem diu lætus ſpecta. Lugduni in Batavis a. d. III. Kal. Mart. A. C. CIↃ IↃCC VIIII.

LEC-

L E C T O R I
B E N E V O L O
S.

NON dubito fore plerosque, qui, quum has Fabulas in tuum & communem usum typis committo, non levi admiratione capti rogabunt, quid caussa sit, quod relicto fonte, ex quo dulcius bibuntur aquæ, ad longinquas & turbulentiores derivationes eos hoc libello deducam; immo ab mitiore victu ad duras glandes revocem. Et quidni? si olim fuerunt malo sidere nati, quibus adeo parum aceti in pectore fuit, ut Phædrum; unde hæ laciniæ decerptæ sunt, judicium status subire voluerint. Merito enim eos ex indice, ubi Fabulas nostras a Phædro desumptas & soluta oratione expositas esse legerunt, talem opinionem præconcepturos suspicor, & forsitan prius damnaturos consilium meum, quam recte pretium libelli cognoscant. Et quoniam non alius fere est ex antiquis auctor nobis superstes, qui diligentiorem operam a Viris eruditis brevi tempore meruit, quam dulcissimus Æsopi imitator Phædrus, ex quo ejus ingenii dotes ab Avo materno magis conspicuæ & commendata esse cœperunt; postquam ardor in eo restituendo & expoliendo ita effer-

** *buis-*

buisset, ut vix amplius, quod ad ejus instaurationem quidquam conferret, sperari posset: non sine ratione inopinatum proventum nostrarum Fabularum, quarum pleraque adeo nihil novum, quale hoc sæculum amat, exhibent, ut potius miserandam earum conditionem deplorare jubeant, mirari videntur. Illam igitur calumniam animo prævidens, de mea opera, quid præstiterit, præfando posse defungi minime arbitror: sed ut melioribus auspiciis publicæ existimationi committatur libellus, accedat, oportet, singularis notitia & recensio utilitatis, quæ hinc nobis obvenit; quæ mihi adeo placuit, ut libenter aliquas horas in eas impenderim, & de te tam bene, ut confido, merebitur, ut digno & grato favore hunc fasciculum excipias.

Verum ut ordine procedat sermo, commodissimum putavi, unde & qua occasione in manus nostras devenerint, prius exponere; qua ratione non leve auctoritatis momentum iis accessurum mihi persuadeo. Evenit autem, postquam ad lætiora in hac urbe Musarum sacra postliminio reversus essem, & Avunculus mecum ut ante, quum teneram meam juventam apud se primis studiorum tirociniis formaret, quod nunquam non gratus agnosco, non raro, sed tunc repetitis vicibus, quid interim ad augendam litterarum scientiam proferretur communicans,

in-

inter multa non celaret, quemadmodum in recensenda Bibliotheca publica occupatus inter libros manu exaratos, quorum possessor fuerat Is. Vossius, reperisset Codicem fabulas quasdam Phædri, quasdam ineditas in postrema parte continentem; easque descriptas simul monstraret. Ego inexspectatæ rei solo aspectu non contentus, ut perpetuam mihi ejus possessionem facerem, brevem earum chartarum usum ad describendum petere sustinui; quem ille, qua erga me benivolentia uti solet, libenter concessit. Inde quum vehementer illis delectarer, attamen quia tot erant lacunis hiantia, alia ita constituta loca, ut plane intellectui non paterent, ipsarum membranarum copiam desiderare cœpi. Qua ab Cl. Viro Wolf. Senguerdio Academiæ Bibliothecario facile, qua est humanitate, impetrata primam voluptatem mihi creavit picturarum aspectus, quibus singularum fabularum argumenta exprimebantur; quæ non sunt Apellis Zeuxidisve manu ducta, vel colorum varietate distincta, sed solis atramenti lineis descripta interdum adeo perversa erant, ut nisi ex vetustissimo pictorum more adjecta esset fabulæ narratio, quæ bestiæ depictæ essent, vix intelligeres; ideoque nihil notatu dignum in se continebant, sed potius non parvam molestiam dabant. Nempe apparet illas primas in membranas esse conjectas, &

quia fere totum paginarum spatium implebant, librarium deinde in interstitiis & subsecivis partibus addidisse narrationem, unde evenit, ut aliquando non versus, non verba integra essent, vel ὕστερον πρότερον, vel βουστροφηδὸν se sequentia, quæ confusio sæpissime intentionis aciem abrumpebat. Prima tamen id præstitit, ut, quemadmodum anonymus est Antiquarum fabularum liber, in cujus capite Petavii, ut videtur, manus hæc adscripserat: [Harum quæ sequuntur fabularum quædam sunt e Phædro verbatim desumpta.] non etiam ἀκέφαλος existimari queat, quoniam primæ paginæ præmissa erat pictura hominis in pergula sedentis, posito ante eum in pulpito libro & cornu atramenti, plumam manu tenentis quasi meditando & scribendo occupati, ad indicandum procul dubio operis initium. Talem igitur Codicem litteris non admodum grandibus exaratum, longa vetustate (est enim fere quingentorum annorum; & ex fabulis 50 & 55, in quibus loca, prout edidi, punctis insignita vacant, si non ulteriorem antiquitatem, saltem non primam hanc descriptionem fuisse conjicere licet) & creberrima lectione (cujus tam notabilia vestigia ostendentes Membranæ præclare docent, quanti pretii ab antiquis etiam Christianis, ut fabula 27 apparet, æstimatæ sint Phædri fabulæ,) multis in partibus miram

quan-

quantum detritum, fugiente plerumque atramento, in locis maxime desperatis eo usque versavi, donec residua erat aliqua spes ulterius litterarum indagandarum. Nec defatigabar isto labore, quia cum ipse de MSti lectione certus esse cupiebam, tum ut tibi aliquando asseverare possem nil aliud a me exhiberi, quam quod ibi conspexeram. Cujus fidem ut præstarem, quum præter vulgares scribendi notas frequenter decurtatæ essent dictiones, illas pariter numeris distinguendo annotabam. His peractis quum non contentus essem tacita voluptatis conscientia, sed in publicum eas exponere decrevissem, cœpi oculos in difficiliora loca intendere, &, prout commodissimum erat, explanare. Itaque ne mireris, quod otium meum in tam levi scribendi genere consumpsi, ejus fructus enarrare aggrediar.

Proferuntur ex illis membranis Fabulæ a Phædro decerptæ, sed quarum dimidia pars vel nunquam, vel ita edita est, ut Phædro eas adjudicare nemo auderet, vel denique, ut pro lubitu refinxerint Viri eruditi & stylum & fictionem; inter quos præcipuus fuit Joach. Camerarius, etsi Cl. Gudius Phil. Melanchthonis præfatione inductus ad Phædrum fab. 5 l. 1 putavit Camerarium illas ex MSStis antiquis desumpsisse, & plerasque iisdem verbis ornavisse. Cui opinioni manifeste se ipse Camera-

rius opponit in epistola ad Erasmum Rudingerum generum suum, ubi de secunda editione Fabularum suarum agens inter alia scribit: [Rerum enim vero, cum res quidem illæ nobis neqauquam displicerent, & argumentum sententiis haud subtilibus explicatum videretur, in compositione orationis & vocabulorum usu sæpe non satisfecit mihi opera prioris descriptionis meæ. Nam animadvertens diligentius pleraque & verba audacius quadam usurpasse me & figuras sermonis inculcasse alienas deprehendi. Idque ipsum quoque velut calcar admovit studio meo totum libellum percurrendi & vetera illa accuratius recognoscendi.] Deinde pergit [Id autem confido nunc me præstitisse, ut sine probato auctore, vel in singulis verbis, vel in his conjunctis, nihil quicquam pronunciatum a nobis esse, lector sit reperturus.] Quæ etiam repetit in proœmio ad J. Malleolum in Boemia pædagogum. Quibus jungi potest G. J. Vossii judicium infra additum ex Instit. Orat. Hoc ergo præstant nostra ab alienis manibus pura, & quod cum fictis jocis nos delectantes ubique fere auctoris sui vestigia ostendunt, tum eo potissimum, quod nonnulla integros Phædri versus nobis præbent; quod hic recensere sigillatim minime necessarium arbitror, quia ubicunque aliquid ex iis occurrebat, in notis id maxime egi, ne inob-

ser-

servatum prætermitterem. Et ne quis in eo disputaret, an Phædro digna haberi debeant, ejus phrases & stylum tum in istis, tum in reliquis quæ ante edita hic magis deformata apparent, explicare institui. Quibus recte perpensis, vix aliquem adeo maligno ingenio, ut eas atro calculo damnet, præditum fore arbitror. Verum ut omnis, quantum fieri potuit, dubitatio tolleretur, non sustinui quidquam quod Membranæ servaverant, inde detrahere; ideoque omnes eadem serie protuli, quanquam in Phædro, prout ipse eas reliquerat, jam publicatæ exstabant, ut probabilius cætera auctorem suum assevera rent. Ad quas solas licet forsan respexerit Petavij judicium, nihil tamen vetat, quominus ad ante ineditas id extendatur; nam utique ille diligentius Codicem evolvisse videtur, quam Is. Vossius, in cujus catalogo hæc pars notata non erat. Habes ergo auctarium sex fabularum, quæ Phædri metrum pulchre servant, præter eas, quas Gudius ei jam adseruit, præter alias, quæ cujuscunque auctoris sint, nomine suo non destituamur. Et simile apportant lucrum in fabula Phædri XII libri IV huc usque manca; utinam tantummodo ibi paulo religiosius metrum retentum esset! Notavit quidem Gudius illam integram esse apud Romulum lib. 3 fab. 20, ex quo quæ hic desunt intelligi & ut-

utcunque suppleri possunt, (quod idem ex Rimicio Neveletus monuerat, nesciens tamen utrum MSto duce,) verum ex nullo MStorum quos inspexit, quidquam profert. Nostra autem Membrana illis præstantiores & integram narrationem custodiunt, & ab aliorum nugis liberiorem. Docente enim Phædro sinceritatem in loquendo ad perniciem agi solere, recte in eo clauditur narratio, quod Leo devoratis Bestiis, quæ sincere pronunciaverant os ipsius vel putere vel non putere, tandem fabulaci Simiæ adulatione delinitus ei soli pepercit mutata sententia, qua animo sedebat hanc quoque deglutire, si simplex responsum reddidisset; hoc enim pacto posteriora verba brevitate, quæ sæpe etiam in aliis offendit, obscurata explico. Itaque sequens additamentum ejusdem pretii haberi debet, ut reliqui panni ab Romulo assuti in fab. 2. 4. 22. 32; quos Antiqua non agnoscunt. Porro quantum superent MStum Divionensem ex Lupi & Gruis fabula diserte patet, de cujus restitutione tantopere Gudius laboraverat. Et similiter in fabula Graculi & Pavonum. Præterea notabiles sunt quædam Fabulæ propter non frequenter vel recentiore tantum ævo usitata rerum vocabula, ut sunt Cellararius, Cavannus, Turnacus. *Ne vero ad plane illiteratum compilatorem, qui omnem venerem*

gra-

gratiamque iis abstuleris, cæteras rejiciamus, prohibent elegantiæ, quas hic illic notavimus. Residua est emendatio locorum, quæ medicam manum poscebant, (nam leviores MSti mendas inter scripturæ compendia suis locis subjeci) quam ex collatione Romuli nunc hic addidi, vel olim ab Rimicio editi, ubique potissimum tentavi. Illius enim MStum quum in eadem Bibliotheca latitantem deprehendissem, eumque descriptum in locis Antiquarum fabularum laborantibus consuluissem, pariter statim animadverti non id tantum me lucrari, sed largius compendium fecisse in eo, quod, sicut non plane Phædri verba in fabulis, quæ hodieque apud eum leguntur, contempserat, eademque observaverat in iis, quas inter Antiquas nostras Phædri superstites esse adstruximus, Romulus nunc ad earum probationem magis inserviit. Qua de causa eundem emendatum, &, ubi necessarium existimavi, editi Romuli descriptione locupletatum comitem dedi.

Habes breviter exposita, quæ libelli ratio flagitabat, & ad ipsas Fabulas te dimittere possem, nisi mihi oborta esset sollicitudo, quum in mentem veniebat Neveletum in Notis ad Phædrum citare quendam Rimicium, qui easdem fabulas soluta oratione exposuisse dicebatur; eamque auxerat Gudius ex MStis Divion. & Rem. eadem propemodum citando,

ac

ac in nostris continentur. Quapropter sero ab aliis occupata aggrediens, ne oleum & operam perdidissem, verebar. Cum itaque sic aestuabam inops consilii, unde mihi Rimicium conquirerem, admodum oportunus in hanc urbem contigit Cl. Viri P. Burmanni excursus, quem post sudatos in elimandis & disponendis istis, quae ad Phaedrum sparsim annotaverat Gudius, labores acrius in Rimicium oculos conjecisse mihi imaginabar. Nec fefellit spes. Quippe communicata cum eo hac difficultate scrupulum statim exemit promissa libri copia, & dein ipsum transmisit. Quo inspecto evanuit frivola suspicio, & adeo non poenituit impensa opera, ut potius excitaverit ad absolvendum pensum. Licet enim crebris sordibus obsitus esset liber cum auctoris, tum fortasse editoris injuria, tamen non tenuem aut renciendum inde fructum percepi in emendatione vel explicatione mearum Fabularum; unde quanto copiosior ille fuit, eo majus beneficium ab Viro illo celeberrimo me accepisse gratus profiteor, cujus perpetuam memoriam exstare cupio. Illa certe editio ansam mihi dedit attentius de Romulo & Rimicio cogitandi, & spem fecit ex collectis & simul collocatis iis, quae apud Viros doctos memorata inveni, veritatem vel saltem verisimilitudinem aliquam eruendi. Incredibilis enim videbatur Viro-

rum

rum doctorum fluctuatio in multiplicatione nominum & personarum; quippe quum Romulus *vel* Romulius *sive* Romalius, Rimicius *sive* Rimiccius *vel* Remicius *sive* Remiccius, *denique* Rinucius *vel* Rinuncius *audiat, tum etiam ista nomina nunc uni, nunc duabus personis tribuantur. Ad cujus labyrinthi anfractus caute explorandos Ariadnei fili indicio ductuque maxime opus est. Verum quum felicem exitum vix mihi promittere ausim, quoniam & Fabricii diligentia in Bibliotheca Latina, quam me isto labore levaturam speraveram, hic substitit, mea collectanea ita proponam, ut Jovem lapidem jurare nolim liquidam veramque esse opinionem, sed ut ipsam a te feliciori perscrutatione repertam aliunde veritatem discam.*

Primus quantum scio, ad Phadrum Rimicii opem advocavit Neveletus, qui in Notis ad fabulam 2 sic scribit: [Sic enim Rimicius quidam qui Phedri fabulas soluta oratione reddidit, servatis ut plurimum verbis, hac eadem de re loquens ait. Ranæ vagantes in liberis paludibus & stagnis, clamore magno ad Jovem facto petierunt sibi rectorem, qui errantes corrigeret. *Rimicii hujus exemplar mibi e Palatina Bibliotheca suppeditavit V. A. Janus Gruterus, Ulma olim impressum. Fabulas Æsopi, Avieni & Anonymi nostri fabulatoris*

ris Latina Germanicaque oratione exposuit. Id monendum hoc loco duxi, quod aliquoties hujus Rimicii facturus sum mentionem.] Hoc quidem modo ille multa ad Phædri elucidationem ex suo exemplari promittit; quantum vero auctoritatis illi adscribat, planum facit ad fabulam 12 l. 4, ubi annotat: [Hanc & sequentis fabulæ priorem versum conjunxit Rimicius, nescio an manuscripto duce hoc modo. Sine sanguine cibum sumere sanctam & incorruptam fidem juravit. Post hac de hac re cœpit habere pœnitentiam. *Persequiturque fabulam illam de Leone rogante an os fœteret sibi & Simio, quæ extat apud Camerarium. Adeo ut videtur mihi versus ille* Turpi lavare cœpit pœnitentia *nihil ad sequentia pertinere, sed fabulæ huic 70 proprium esse.] Tale est indicium & pariter judicium Neveleti de Rimicio, in quo observandum est Romuli nullam mentionem eum facere. Postea eundem Neveleti Rimicium citavit Barthius, cujus testimonium deinde videbimus; & tandem ejus memoriam renovavit Cl. Gudius, ex cujus ad Phædrum Notis sequentia annotavi, eum citato ad lib. 1 fab. 3. Neveleti* Rimicio *suum quoque* Rimiccii *MS. producere: ad fab.* 24 Romulium sive Remiccium: *ad fab. 30 post laudatum Neveleti* Remiccium, Sciassianum Romic-

miccii codicem: *ad lib.* 3 *fab.* 15 Romulium, sive ut Neveleto vocatur, Rimiccium. *Ex quibus concludere statim licet M. Gudium non aperte designare, utrum Rimicii vel Rimiccii nomina in MStis suis invenerit, nec ne; quæ si in iis exstitissent, nullam necessitatem video, cur adeo dubitanter citet utramque appellationem, quippe quum alterutra sufficisset. Quemadmodum facit ad fab.* 8 *lib.* 1, *ubi Romulium solum in MS. Divionensi adducit, sine dubio, quia solum illud nomen ibi legerat, non etiam Rimicii. Nam quod ad fabb.* 3 *&* 30 *lib.* 1 *ita appellat Rimiccii vel Remiccii MStum, videtur hoc fecisse ad Neveleti imitationem, quia ex ejus annotationibus id nomen notius erat & vulgarius, prout Rimicius apud eum vix citatur ex MStis, nisi ubi ab Neveleto mentio ejus facta erat. Atque hinc esse putaverim, quod in reliquis citationibus neglecto etiam Romulii nomine nunc* membranas Divionenses, *nunc* MStum Divionensem *solummodo in testimonium advocat. Quo etiam referri debet, quod ex eodem Codice illum triginta novas fabulas descripsisse testatur Cl. Burmannus; & quod ad prologum lib.* 1 *notat Gudius inter fabulas quæ interciderunt, se reperisse fabulam Phædri a Monacho mirum in modum interpolatam & deformatam; qualem Monachum iterum ap-*

 pel-

pellat ad fab. 13 l. 1 in antiquissimo Codice fabularum Æsopiarum Wissenburgensi, in quo Phædri pleraque fabulæ satis ampla paraphrasi explicantur. In quibus locis opportune Rimicii nomen memoravisset; quod quum non faciat, argumento est illos Codices vel tantum Romuli sive Romulii nomine inscriptos fuisse, vel, ut noster primus, anonymos plane fuiße. Id hac fiducia mihi persuadeo, quoniam non aliud nomen noster secundus præ se fert, cui suffragantur Gudii citationes & editio, quam ad lib. 3 fab. 6 & l. 4 f. 12 memorat. Accedit præclare Burmanni editio, ex qua quantum profeci, mox indicabo expositis primo, quæ liber iste complectitur. Index erat, Fabule & vita esopi: cum fabulis Aviani: Alfonsii: Pogii florentini: & aliorum: cum optimo commento: bene diligenterque correcte & emendate. *Sequebatur vita Æsopi, quæ hoc modo inscribebatur,* Vita Esopi fabulatoris clarissimi e greco latina: per Rimicium facta: ad reverendissimum patrem dominum Anthonium tituli sancti Chrysogoni presbiterum cardinalem. *Hanc excipiebant quatuor libri fabularum, quæ non alio titulo insignes erant quam,* Sequitur registrum fabularum in primum esopi librum. *Harum librorum tres priores continebant illa carmina, quæ sub Anonymi nomine Nevele-*

tus

tus ediderat, quæ ita erant disposita, ut singulis fabulis subjiceretur eadem in prosa narratio; præmisso Romuli ad Tyberinum filium prologo, quum quartus in prosa tantum fabulosas narrationes continuaret, quem claudebant hæc verba, Finitur Liber Esopi quartus. nec plures ejus libri inveniuntur, licet plures ejus fabule adhuc reperte sint, quarum alique sunt consequenter posite. *Illa erant decem & septem numero* Extravagantes *dictæ. Post quas aliæ totidem cum hoc titulo,* Sequuntur fabule nove Esopi ex translatione Remicii. *Et in fine,* Registrum fabularum predictarum Esopi quas Remicius transtulit. *Dein suo ordine conspiciebantur Aviani fabulæ, post quas reliqua deerant, unde annum locumque editionis discere oportebat, & si quid forte amplius de Rimicio ibi additum esset. Fabularum ordo idem erat qui apud Neveleti Anonymum; non tamen eandem esse ejus editioni manifestissimum est, quod hic nulla apponebatur Germanica expositio; & quod non in duos libros, ut indicat Neveletus ad fab. 21, sed quatuor dispersa erat; tamen textum utriusque parum differe ex comparatione excerptorum ab Neveleto compertum habeo. Vides indicem de Rimicio nihil promittere, perinde ut eum invenisse videtur Neveletus; quatuor priores li-*

bros Æsopo tantum inscribi, utique quod ad carmina; fabulas soluta oratione conscriptas auctorem fateri Romulum ad Tyberinum filium: quod igitur jus superest Rimicio in aliis? Utique quum respicio ordinem cum nostris plerumque convenientem, stylum & ipsa verba fere congruentia, ab Neveleti hæsitatione auferri me amplius non patior, utrum MSto duce illas Rimicius ediderit; hoc enim tantum præstitisse credo. Quod planum fiet, si modo consideres, quænam suo exemplari contenta dicat Neveletus, scilicet Æsopi, Avieni & Anonymi fabulatoris fabulas. Quæ ergo Rimicii opera? Profecto quum sic in omnibus fere eandem deprehendo Neveleti Ulmensem editionem ei quæ est Cl. Burmanni, facile opinor concessum mihi veniam idem de utraque sentiendi, quia cognita una ambas pariter noveris. Itaque non alia Rimicio addico, quam quæ nominatim ei adscribuntur: nempe Vitam Æsopi per eum e Græco Latinam factam, & Fabulas XVII *novas, quas etiam transtulit. Hoc videlicet ejus est studium. Cui addere forsan debemus optimum commentarium, qui manifeste consistit in explicatione fabularum Avieni, quod indicant hæ formulæ,* Ut clare patet in textu. Ut patet in litera. Vide textum patenter dicentem. Ideo dicit auctor. *Et ad eundem modum si velimus & Romulum*

com-

commentario carminum inservire, ne sic quidem Rimicii quicquam ibi admitto præter moralium quorundam, quæ in meo Romulo non exstant, augmentum, quo Romulum suum interpolavit sententias carminibus expressas laudando & explicando; quæ hoc modo infercit vel appendit, Ideo pulcre infert. Ideo multum eleganter infert. Ideo eleganter ait. *Et quæ sunt plura. Sed clarissime patet ex fabula Canis & Lupi, cui quum præmisisset* Libertas quam dulcissima, quamque inestimabile bonum sit preclare autor breviter narrat in hac presenti fabula; *fabulæ apponit,* Et ponit autor de libertate metra preclarissima, super mellis favum dulcissima: *Qua ratione miser sorex se prodit, quod nec carminum (nam in commentario ad Avienum citat,* quod etiam esopus posuit supra in fabula sexta de leone, capra & ove. De quo Esopus ait. Omne genus pestis superat mens dissona verbis fabula III de mure & rana li. primo *& alibi) nec solutæ orationis auctor haberi debet. Sed cujus quæso commentarium constituet quartus liber, quem carmina destituunt? ideo caute agit, quod ab alieno opere ibi abstinet: Præterea nimis dissentit ejus stylus ab Romulo in fabula Ovium & Luporum, cui in vita Æsopi titulum plane barbarum & recentissimi temporis affingit,*

Quomodo Ovibus Lupi miserunt Ambaciatores. *Quod optime consonat cum eo, quod Neveletus eum testatur fabulas istas Latina Germanicaque oratione exposuisse, quæ verba nimis eum deprimunt, & propinquiorem nobis faciunt. Hanc opinionem fulciunt duæ editiones etiam Cl. Burmanni, quarum prima Lovaniensis post Guil. Goudanum, Hadr. Barlandum, Erasmum, A. Gellium, L. Vallam, Ang. Politianum, P. Crinitum, Jo. Ant. Campanum, Plinium, Nic. Gerbelium, L. Abstemium Rimicium jam denuo additum in ultimum locum rejecerat: altera Parisina anni* 1544 *post L. Vallam, Guil. Gudanum, H. Barlandum, Guil. Hermannum Rimicio sedem assignaverat. Quæ fabulæ toto cœlo diversæ sunt ab iis, quas Neveleti & Burmanni codices nobis præbuerant; est enim versio earum, quas Neveletus in sua editione primas Æsopo tribuit ab Aquilæ & Vulpis fabula incipientes. Quapropter etsi primo intuitu duplex pro uno Sosia prodire videbatur, attentiore deinde examine ejusdem auctoris geminum quum locutionibus, quæ sententiis detexi; & non obscure in eo, quod eodem verborum honore Æsopum prosequitur ita suum librum incipiens,* Æsopi fabulatoris clarissimi Apologi e Græco Latini per Rimicium facti. *Quod opus tot aliis recentioribus postpositum mirum quantum huic disputationi favet.*

vet. Neque enim causa est ut quis cavilletur, etiam Gellium Pliniumque fere interjici, qui primum locum obtinere debuerant, ut ab confuso ordine nullum argumentum peti queat; quoniam videntur id fecisse editores, quia ex istis auctoribus unam alteramve fabulam decerptam corollarii loco adjiciebant, non item integrum volumen, quale est Rimicii.

His ita digestis quum Rimicium non nisi commentatorem & editorem fabularum, quarum auctorem constituebant Neveletus & Gudius, aspiciebam, ecce alia turba ab C. Barthio in Animadvers. ad lib. 2 Papin. Statii silv. 1, ubi, postquam repudiaverat Neveleti lectionem apud Phædrum τῦ nativitas pro necessitas, quam illum ex Rimicii versu restitutam voluisse male opinatur, pergit: [Rimicii fabulas carmine scriptas nunquam nos vidimus. Prosa Oratione, edita sunt tum alibi tum Lipsiæ, non semel, & hic quidem Codex Epistolam iis subjicit titulo Gulielmi Canonici B. Augustini cujusdam, qui eas fabulas, soluto sermone a se transditas dedicarit Florentio Baroni Iselsteinio. At aliter, & mea opinione, verius, nitidissima editio Lugdunensis Jacobi Juntæ, anni MDLXXI. Quæ Rimicium ejus ipsius prosaici sermonis auctorem facit. Est enim dictio non recentis sed medii temporis in eo Opere, De tota re in Adversariorum Tertio Volu-

 mine.]

mine.] *Eamque lectionem iterum improbat lib. 42 Adversar. c. 14. Sed ridiculam hanc larvam mihi objectam eodem momento animadverti. Quod ut patefaciam, non perfunctoria utar ἐπιμελείᾳ, quia hæc nimis festinanti calamo litteris consignasse videtur; quod erudito Viro aciem intentionis obtudit. Sed videamus singula. Neveletum ait ex Rimicii versu restituere voluisse. Unde hanc opinionem hauserit, parum mihi liquet; nec ita loquitur Neveletus, cujus verba sunt,* [*Rimicius longe elegantius & credo vera lectione legit*

Facit parentes bonitas non necessitas.]

Quæ quia sic posuerat Neveletus licet sine commemoratione versus, hinc Barthius immemor ejus quod Neveletus in prima Rimicii mentione dixerat eum prosa oratione fabulas exposuiße, videtur opinatus eße, quasi Neveletus Rimicium versibus constantem inspexerit. In quo errore confirmare eum potuit, quod idem Neveletus ad fab. 39 notat [*addit Rimicius*

Hæc cum dixisset obscuro se condidit loco

adeo ut versus deesse hic Phædro videatur.] *Sane nusquam Neveletus versus Rimicii nominat, sed aliquoties prosam orationem excerptam præbet. Non mirum ergo Barthium Rimicii fabulas carmine scriptas nunquam vidisse.*

disse. Vellem tamen his substitisset ille Vir doctus, nec in altius præcipitium proruisset, quod postquam semel deflexit, evitare non potuit. Nam quum prosa oratione editas fabulas Lipsiæ & Lugduni memorat, deque Lipsiensi editione disputat, temere confundit illas fabulas cum iis quas Neveletus vidit, quasi eodem opere continerentur. Istas editiones quanquam videre non licuit, de iis non multum laboro, quia Lovaniensis & Parisina quas jam memoravi, non valde ab illis discrepare videntur. Quod autem ait Codicem Lipsiensem Epistolam iis subjicere titulo Guilielmi Canonici B. Augustini cujusdam, qui eas fabulas soluto sermone a se transditas dedicarit Florentio Baroni Isselsteino, vix intelligo; & contrarium ordinem in nostris supra dedi. Sed iterum miscet Guil. Hermanni fabulas cum Rimicii translato opere; neque enim ulla est hæsitatio in Lov. & Par. editione, quin Rimicius earum sit auctor, quod ex Junino probare vult Barthius. Nihil tamen amplius extricat de Neveleti Rimicio, sed Lectorem remittit ad Adversariorum Tertium volumen, ubi quemadmodum fidem suam liberaverit, postea videbimus. Tandem de suo concludit dictionem esse non recentis sed medii temporis in eo Opere; in qua sententia quam sibi constet, aperit ad Statii 2 Thebaid. Vers. 611; ubi,

ubi, dum explicat dediscere seipsum, *notat* [*Rimicius temporum non pessimorum auctor, qui interpolatus non est, Fab.* XLVIII. Stulti in prosperis seipsos dediscunt.] *Quæ fabula non exstat inter illas quæ Romuli sunt, sed quas Rimicius ab Æsopo transtulit, ideoque illa citatione aperte denudat originem pravæ sententiæ: scilicet quoniam ignotæ & invisitatæ Barthio erant Romuli fabulæ ab Rimicio editæ. Quanquam admiratione res digna est, illum de Rimicii fabulis disputantem contra Neveletum non animadvertisse adeo ipsum falli, quoniam prorsus nulla ex decerptis ab Neveleto laciniis, immo nec ipsa illa de Cane & Agno fabula, in illo Rimicii libro exstabat.*

Denique est A. Fabricius, qui in Bibl. Græca l. 2 c. 9 n. 11 ex Benghemio notat Æsopi vitam & fabulas per Rimicium quendam Latine versas prodiisse Mediolani 1480. 4. *quam editionem quia isto numero memorat, existimare se ostendit eam collectas a Planude fabulas continere; ut debeat illa cum Barthii editione conjungi. Et n.* 14. *Prosa Latina præter Rimicium fabulas scripsisse Poggium. In Bibliotheca autem Latina tantundem profert, nisi quod loquens de distinctione carminum in duos vel quatuor libros ait Neveletum conjicere illam a* Rimuncio *quodam confictam*

esse;

esse; quod tamen nomen mea Neveleti editio non cognoscit, & multo minus, quasi ne sic quidem satis πολυώνυμος *esset,* Rinucii, *quod in Indice collocat. Sic tantum de carminibus egit, & nihil nos docet de prosaica narratione, quæ quia ex Phædro decerpta erat, attensionem præcipuam merebatur.*

Satis prolixe egi propter obscuritatem in hoc incerto examine notitiæ de Rimicio, eumque interpretem & editorem fuisse dilucidis argumentis me evicisse arbitror. Quod dum pronuncio, facile te intelligere mihi persuadeo, meam opinionem eo vergere, ut Rimicium citra Typographiam inventam, vel circa illud ipsum tempus vixisse & MSto duce fabulas edidisse credam. Sed ut relictis conjecturis huic disquisitioni Colophonem imponam, egregium est indicium, quod nobis largitur Cl. Burmanni exemplar, in quo Æsopi vita, ut ante retulimus, ab Rimicio inscribitur R.P.D. Anthonio tituli Sancti Chrysogoni Presbytero Cardinali; ex cujus cognita ætate quum certum quid statuere me posse sperabam, omnem propterea lapidem movi. Et quanqam ille Cardinalis solo prænomine non etiam gentilicio appellaretur, multi autem essent Antonij in Cardinalium tabula: postquam apud Ciaconium invenissem Antonium Cerdanum presbyterum Cardinalem titulo S. Chrysogoni, qui sæculo quin-

quinto decimo floruerit, & doctus Theologus audit, diu quæsitum me reperisse statui. Quod ut clarius sit, quæ ex Ciaconio descripsi adjicio.
Mag. Antonius Cerdanus, quem aliqui Martinum nominant Majoracensis ex vico S. Margaritæ, Canonicus Majoracensis Ecclesiæ a Pio II. princeps Theologorum vocatus. Ex Cubiculario Papæ, & Archiepiscopo Messanensi, ab Eugenio IV electo, renuntiatus est a Nicolao V Presbyter Cardinalis titulo S. Chrysogoni. *Paulo post*, Extant Alphonsi Regis litteræ ad Cardinalem datæ A. 1452. Decessit 1459, 12 Sept. *Optime convenit tempus quod conjeceram; convenit egregie quod Benghemius de Rimicij fabulis Mediolani impressis scripsit, ut hinc suspicari liceat Rimicium Italum Majoracensi suum opus dedicavisse. Sic potuit Rimicius fabularum studiosus colligere, quas Poggius & Alfonsus composuerant priores, atque eas cum Romuli fabulis ex MSto sumptis in unum volumen conjicere; postea autem, si Mediolanensis anni* 1480 *tunc primum prodiit, quia Cerdanus, cui Romuli fabulas dedicavit, jam anno* 1549 *mortem obierat, transtulisse Græcas Æsopi in Latinum, ut in fine proœmii testatur*, Atque ordinem Alphabeti in Græco sequutus, qui in Latino sermone servari non potest, hinc sumit initium. *Perspicue*

igitur hinc apparet, quanti æstimandus sit uterque liber, sed præsertim Romuli, cujus pretium valde accrescit.

Venit jam ad partes Romulus pari sortis infelicitate jactatus, ut Rimicius. Nam fere omnes illum poetam commemorare solent, qui fabulas carmine scripserit ad Tybertinum filium, quod quo fundamento nitentes dixerint, penetrare nondum possum. Exstat de eo L. Gyraldi testimonium in dialogo 5 de Poetarum historia. [Posset & inter hos poetas reponi Romulus ille, qui ad Tybertinum filium librum scripsit, quem ab imitatione apologorum Æsopi illius Phrygis, fabulas Æsopi *nuncupavit: non ut aliqui rati sunt, transtulit. Mirum vobis dicam, quam anxie Parmenses quidam, non Romulum hujus libelli auctorem asserant, sed suum quendam Salonem municipem, qui poeta dum Athenis studeret, e Græco fabulas has nostris moribus (ut ajunt) aptando, carmine composuerit. Sed certe hoc ipso vel Romulo vel Salone, me puero nullus liber æque trivialibus magistris terebatur, post Alexandri ineptias.] Ex illo fonte reliqui sua hausisse videntur, quia simpliciter Romulum poetam appellant, prout faciunt Vossius & reliqui Lexicographi. Interim mirari satis nequeo, quod apud Neveletum, Gudium, in vetusto Cl. Burmanni exemplari & tot MStis Neveleti &*

Rigaltii nec vola nec vestigium ejus apparet. Unus est C. Barthius in lib. 3 Advers. c. 22, qui narrat se eadem carmina in MSto invenisse, & de eorum auctore sequentia addit. [Talis est universa illa Poesis. Et jam quidem edita & recensita a Neveleto Doscio. Si quis me auctoris nomen roget, dicam Bernardum esse, cujus ad oculum similes versus de Castoris fabula producit Silvester Giraldus, & hic forte exciderunt. Sed ne quis auctorem certiorem quoque ignorare possit, quæ de eo reperi adjungam. Æsopus magister Atheniensium fuit. Quidam vero Imperator Romanorum rogavit magistrum Romalium, ut sibi aliquas jocosas fabulas conscriberet ad removendum publicas curas. Magister Romalius non audens precibus tanti viri contradicere, auctorem Græcum in Latinum transtulit. *Hæc membrana.] Hæc sunt videlicet, quæ ad Statii Silvas de Rimicio promiserat cum nimis ambigua, tum fere a Rimicio, cujus ne nomen quidem hic memorat, aliena; & quod magis mireris, nescio qua auctoritate Bernardo cuidam illa carmina contra membranas affingit. Habuit tamen procul dubio Gyraldus plena fidei indicia. Sed quod alii Accium vel Salonem appellant, non addunt an ex MStis.*

Ex quibus si aliqua veri scintilla elici potest, eundem Romulum vel Romulium, neque enim

de

de nomine litigo, utriusque sermonis, ligati (de quo nihil dubitat G. Erhardus, quisquis ille sit, ad Petronii fabulam de Matrona Ephesia sic scribens, [Eadem carmine reddita est a Romulo Grammatico veteri, fabular. Æsopicar. cap. 48. ubi videndus Commentator.] Quod testimonium in tempore nunc oculos meos feriens inserere debui, quia undecunque didicerit, fidenter Romulum Grammaticum veterem appellat carminum auctorem, & simpliciter Commentatorem, quem ignotum sibi profitetur, laudat. Ubi etiam Neveleti supputationem sequitur, quasi ipsius exemplar nulla librorum sectione distinctum fuerit, qua singularia admodum sunt) & soluti auctorem fuisse divinarem, quod tot MSta probare videntur. Et sive prius carmina, sive prosam orationem absolverit, utique non Æsopum solum imitatum esse, sed vel maxime Phedrum, cujus nomen vel dissimulavit vel ignoravit. Quale imitationis exemplum antea praebuerat Avienus, & frequentem hanc fuisse interpolationem evincunt tot diversi generis MSta Romuli; ideoque renascentibus litteris sedula adeo fuit in hac parte quorundam occupatio, qua etiam delectati sunt alii, ut affirmat Vossius lib. 2 Instit. Orat. c. 15. tm. 5. & Guil. Goudanus. Qui quum epistolam ita incipiat, Fabulas Æsopi cum ex oratione liga-

ta in solutam vertissem, tibi dicare placuit, fabulaeque illa argumento & ordine similes sint fabulis Anonymi apud Neveletum, cogitavi saepe, an non illas ipsas innuere vellet. Praeterea silentio supprimere nequeo, me, dum hac tracto, & in tot fasciculos fabularum incido, quarum series & ordinatio plerumque est eadem, pene persuaderi Antiquas nostras fabulas utpote reliquis priores purioresque, a quodam φιλομύθῳ antiquiore, eoque Christiano in unum corpusculum ex Phaedro collectas & separatas postea inservisse Romulo cuidam, nisi illud nomen plane fictitium est, qui earum praeceptis filium suum instruere, vel ex alieno opere famam sibi acquirere studens, ut Paulus ex Festo Pompejo, illas temere interpolavit. Nam plane singulare est, quod in nostro MSto Romani Imperatoris titulum, forsan malo intellectu verborum ex Barthii MSto huc translatum, praetexit, qui apud alium nondum mihi occurrit; de qua re quum in promptu non sit quidquam amplius proferre, id monuisse contentus ero.

Sic habes repraesentatum pro parte Cl. P. Burmanni vaticinium, quod quatuor fabulis inter Gudianas schedas repertis praemiserat, quo reliquas triginta fabulas ex lacero autographo abscissas forte aliquando claustra, quibus continentur, perrupturas augurabatur. Ego vero meam sortem laetus gratulor, symbola conferenda

renda occasionem mihi natam esse ad illius potissimum auctoris instaurationem, cujus indoles & genium antea ceperat carissima & honoratissima mihi nomina J. Fred: & Jac. Gronovios, quos Avum & Avunculum debita pietate cognationis vincula compellare jubent, quorumque vestigiis, qua licet & potero, domestico aemulationis studio quocunque excitatus insistere conor; ideoque nuperæ illorum editioni ut hic potissimum forma responderet & jungi posset, satius duxi. Reliquum est B. L. ut has Fabulas candide, sicut proferuntur, excipias, & prosperam fortunæ auram in Phædri adminiculis prodendis agnoscas. Quibus si aliquam gratiam apud te inire valeo, spes erit juveniles has curas non rigido censorio oculo suppressas posse se erigere ad alia ulterius, si Deus dederit, præstanda. Vale.

In Textu.

Pag. 21. lin. 7. CAVANUS lege CAVANNUS.
66. 13. potuis *l.* potius.
ult. fili mei. fili mi.
76. *ult.* pavere *l.* pavore.

In Notis.

Pag. col. lin.
3. 1. 13. quæ fab. 18. *Adde.* & apud Hyginum fab. 103. *quo impetrato, a Mercurio reductus* (Protesilaus), *tres horas cum eo collocuta est* (Laodamia.
5. 1. 3. *is* vel *ille.* In qua locutione multus est Hyginus, ut videre licet apud Munkerum in Dissertat. & ad fab. 21.
8. 2. 3. f. præced. & 21. Etiam in Hygino, ad cujus fab. 77. consulendus Munkerus.
9. ad fab. 12. *Repudiavit officium, cur sic &c.*] Nota fabularum brevitas, quam male sollicitat in Hygini fab. 190. Munkerus.
17. 1. 10. fundamenno *l.* fundamento.
22. ad fab. 25. *Domum Muris*] Virgilius 1. Georg. 182. *Sæpe exiguus mus Sub terris posuitque domos.*
31. 2. 2. *sactus* l. *factus.*
39. 2. 1. simplicitas (hæc enim agnosci etiam debet in voce *securis*, quam Phædrus adhibuit, non etiam, ut sibi Gudius imaginabatur, *bipennis*, quæ nimis Tragicum sonat, ut docet ipse lib. 4. fab. 6.)
42. 1. 11. *Quid enim timeo* l. *Quid enim? timeo.*
17. *spiritu* l. *spinas.*
45. 1. 11. po- *l.* post-
68. 1. 4. *pascende l. pascendo.*
76. 1. 2. usupari *l.* usurpari.
77. 2. 1. *simnl* l. *simul.*
Ibidem adde. *Secum [illegible] conviva venire*] Sic MStus, quum Romulus ed. *deinde prandio perfecto Mus urbanus Murem agrarium rogabat, ut etiam ipse secum pranderet.* Simpliciter autem reposui *conviva*, nempe respectu urbani Muris, qui apud alterum convivatus erat, perinde ut fab. 8. *petitor.* Alioquin scribendum esset *convivam.*
107. 1. *ult.* quam *l.* quem.
120. 1. 2. aliis *l.* alias.
142. 2. *ult.* de Equo & Apro. Sed tamen easdem bestias servat Guil. Goudanus addita Horatii fabula ex l. 1. Epist. 10.

IN-

INDEX FABULARUM.

Littera A Antiquas, R Romuli fabulas, App. ex Romulo edito appendicem huc translatam designat.

A.

C.

Equus

E.

F.

G.

H.

Homo

Lupus

M.

N.

O.

Ovis

FA-

FABULÆ ANTIQUÆ

Ex Phædro fere servatis ejus verbis desumptæ, & soluta oratione expositæ.

FAB. I.
GALLUS AD MARGARITAM.


Allus escam in sterquilinio quærens invenit margaritam. Ait: Optima res in sterquilinio jaces. Si te cupidus invenisset; cum gaudio rapuisset, & in decorem tuum redires. Ego quæro escam; [a] nec tu mihi, nec ego tibi. Qui ad honorem pertingere valuissent, si ingenium habuissent.

a. Nec tu mihi, nec ego tibi] Retinuit ex Phædro uterque Romulus verbum *prosum*; quod non temere, sed dedita opera, idque elegantissime hic rejectum docet proverbialis locutio apud Ciceronem l. 2. de Offic. c. 10. *Nec sibi, nec alteri, ut dicitur*. De qua Erasmus in Chiliadibus.

FAB. II.
CANES FAMELICI.

Corium depressum in flumine viderunt

Canes: [a] [1] quod ut extrahere celeriter [2] potuiſſent, aquam cœperunt lambere. [b] Sic rupti pereunt quam quod petierant, contingere valuiſſent. Qui conſilio immaturo illud capere cupiunt, cum quid pertingere non poſſent.

1 *quem* 2 *potuiſſ.*

a. *Quem ut extraheret*] Hæc Ms. lectio ſive ex illorum temporum vitio, ſive librariorum negligentia orta ſit, dicere non habeo. Eandem ſane invenies fab. 8. 23. 43. & in Romulo f. 44. *tumulum illud.* Quam hic ſemel notare ſatius duxi.

b *Sic . . pti per .t. quam quod*] Habes litterarum reliquias, quas in membrana detexi, quod ut vides, ſupplevi; quanquam adhuc particula *prius* deſideretur. Cæterum hanc fabulam apud editum Romulum fruſtra quæres.

FAB. III.

LUPUS ET AGNUS.

Lupus & Agnus ad rivum venerunt. Superior Lupus, longe inferior Agnus. Tunc fauce improbâ latro incitatus jurgio dixit. Cur turbulentam feciſti mihi aquam? Laniger, Quî fieri poteſt? dum a te liquor decurrens ad meum os venit. [1] Lupus, Ante hos ſex menſes maledixiſti mihi. [2] Reſpondit, Non eram natus. [3] Lupus, Pater tuus maledixit mihi. Et ita correptum lacerat injuſte. Qui fictis cauſis innocentes opprimunt.

FAB.

1 *L.* 2 *Rp.* 3 *L.*

FAB. IV.

MUS ET RANA.

Mus quo transire posset facile flumen, petiit Ranæ auxilium. Illa posteriori cruri suo lino alligat pedem priorem Muris; & natantes venerunt in medium amnem. Mutatâ fide submersit se Rana, & traxit secum sub aquis Soricem. [a] Quo m.... surgiens cum fluctuaretur, conspexit prædam Milvus volans; Mure rapto comitemque Ranam abstulit. Perfida [b] quæ vitam alterius .....rat, experto simul exitu ipsum ulta est. Qui nocent aliis ..... terimunt.

FAB.

a *Quo m.... surgiens cum*] Reliqui spatium vacuum, prout erat in Codice; cujus sensum ita repleo, *quo mortuo surgens, cum fluctuaretur.* Nempe Rana sub aquis tamdiu manere non solita statim mortuo Sorice emersit iterum; quod cum faceret; Soricem sub aquis mortuum pariter elevavit, ut ita in summa aqua fluctuaretur. Sic eadem erit syntaxis quæ fab. 18. Nam in diversum abeunt Romuli exemplaria, quæ vivum Murem Ranæ reluctantem a Milvo rapi fingunt. Itaque quum alium auctorem noster secutus sit, utrum Phædro adscribi hanc fabulam oporteat pro certo affirmare nequeo. Et tamen ejus sane phrasis est, *petiit Ranæ auxilium* l. 4. f. 3. non ut Romulus ed. *a Rana petiit auxilium.* Et eodem modo *Ranam abstulit*, ut l. 1. f. 5 *prædam abstulit*, ubi Rom. ed. *sustulit.*

b *Quæ vitam alterius .....rat*] Derasa magis quam vetustate deleta erat scriptura, cujus litteras ipsas indagere nequivi, etsi facile est defectum supplere, *quæ vitam alterius prodiderat*, & dein similiter, *qui nocent aliis, seipsos interimunt.*

FAB. V.

CANIS, OVIS, LUPUS, MILVUS ET ACCIPITER.

Canis calumpniosus dixit ad Ovem: Debes mihi reddere panem, quem dederam mutuo. Contendebant autem. Ovis autem [1] dicebat, nunquam ab illo panem se [2] accepisse. Cum [3] ante judicem venissent, Canis dixisse fertur habere [4] testes. Introductus [5] Lupus ait: Scio panem Canis commodatum Ovi. Introductus Milvus [6] dixit: Me coram accepit. Accipiter introiens ait: Negas tu, quod accepisti? Victa Ovis a tribus falsis testibus, [a] artius exigitur; coacta vero extractam lanam suam vendidit, ut quod non acceperat, redderet. Qui seditiose innocentes laniant & opprimunt.

1 *deb.* 2 *accp.* 3 *ant. judic.* 4 *test.* 5 *lp.* 6 *dix.*

a Artius exigitur] Fallum debitum. Nam Romulus noster, *quod non acceperat reddere cogitur*; editus, *judicatur artius exigi.*

FAB. VI.

GALLI DUO ET ACCIPITER.

[1] Gallus dum cum alio Gallo sæpius intenderet pugnam, requirit Accipitrem sibi vindicem. [2] Accipiter vero [3] sperabat, ut dum am-

1 *g.* 2 *accp.* 3 *sperab.*

ambo ad eum [4] venissent, ipsum [a] qui se cum exhiberet, devoraret. Cum venissent ante judicem, ut causam suam exponerent, [5] Accipiter ipsum [6] comprehendit; qui ejus primo petierat forum. At ille [7] clamabat: [b] Iam sum ergo; sed ille qui fugam petit. Cui [8] Accipiter dixit: Non tu credas ex meis unguibus hodie liberari, quia quod tu [c] alio intendere voluisti, æquum est, ut ipse sustineas. Qui aliorum necem tractant, & de ipsorum quid agatur, ignorant.

4 *veniss.* 5 *accp.* 6 *cp.* 7 *clamab.* 8 *ac.*

a Qui se cum exhiberet] Hoc relativum accipi debet pro altero pronomine *is* vel *ille*. Fabula nec apud Romulum ed. nec alibi quantum scio, exstat. Eam vero quo minus a Phædro venisse dubites, faciunt verba *ut causam suam exponerent*. Nam similiter ille l. 1. f. 10. *causam perorâssent suam*, & l. 3. f. 10. *exemplum exponam rei*. & dein *causam tuentes*. Dicit etiam *ejus petierat forum*, ut l. 3 f. 13 *lis ad forum deducta est*.

b Iam sum ergo &c.] Ad tuum tribunal, ibique me sisto, quare ego nullam pœnam merui, sed ille contumax, qui fugam petit. Hunc loci sensum puto, ubi abruptus est sermo, quem subito ab Accipitre oppressus & consternatus Gallus protulit. In epimythio supple *& de ipsorum capite*; sive maris intellectu vocis *nece*.

c Alio] Vide ad fab. 38.

FAB. VII.

CANIS SUPER FLUVIUM CARNEM FERENS.

Cum Canis super fluvium carnem ferret, nympharum speculo vidit simulacrum suum, al-

alteramque prædam ab altero [1] ferri putans, eripere voluit. At decepta aviditas quam ferebat, dimisit offam; [a] & quæ valebat sua non potuit vel [2] extremo tangere dente. Qui dum aliena [3] quærunt, propria amittunt.

1 ferre; 2 extrema 3 qr.

a Et qua valebat sua] Retinui, quod in Codice manifesto deprehendi; quæ ut ad Phædri mentem reformentur, sic lege, *& qua volebat sumere*, quem sensum innuit & noster Romulus & editus; sed hic nimis inepta paraphrasi.

FAB. VIII.

COCHLEA ET SIMIA.

[1] Cochlea repperit Spiculum, [2] quod dum nimium fulgere vidisset, adamavit [3] id, & statim ascendens super ejus orbem, [a] cœpit eum delingere. Nil vero ei visa est contulisse, nisi ut splendorem salivis vel sordibus pollueret. Simia invenit [4] id taliter inquinatum, & ait: Qui talibus se calcari permittunt, talia sustinere merentur. Mulieribus, quæ se stultis & inutilissimis viris conjungunt.

FAB.

1 coclea 2 quem 3 eum 4 eum

a Cœpit eum delingere] Ipsa Phædri dictio, quæ nos persuadere forsan posset, ab illo auctore hanc narrationem, quam Romulus uterque neglexit, esse conscriptam.

a Obviam

FAB. IX.

VACCA, OVIS, CAPELLA ET LEO.

Vacca, Ovis & Capella [a] obviam fuerunt cum Leone in saltibus. Hi cum cepissent vasti corporis Cervum, factis partibus, sic est locutus Leo: Ego primam tollo partem, quia nominor Leo. Secundam, quia sum fortis. Tertiam, quia omnibus vobis magis valeo. Quartam qui tetigerit, male patietur. Sicque totam prædam sua improbitas defendit. Nunquam fidelis cum potente societas sit copulanda.

[a] *Obviam fuerunt*] Non id tantum, sed & socii, quod servat uterque Romulus; quam societatem ex occursu forsan inierunt. Quum ergo videri posset auctor voluisse, *obviam fuerunt in saltibus, & cum Leone societatem fecerunt:* tum notandum aliquoties brevitate nimia obscuratum esse sensum, quod vel ex sequenti fab. patet. Sic iterum f. 48. & 62.

FAB. X.

SOL UXOREM DUCENS.

[a] Viri frequentabant nuptias. .. Sapiens intervenit dicens: Audite gaudia vestra. Sol Uxo-

[a] *Viri frequentabant nuptias*] Necessario ad fabulæ intellectum adde *nuptias furis*, quod ex Phædro exhibent Romulus noster & Rimicii. Dein ex nostro lege, *omnis natio contradixit ei magno clamore, conviciis; non tacuerunt.* Quasi sic conjungeret ut Cicero l. 1. ad Fam. ep. 5 *clamore convicioque jactatus est.* Nam alter, *interdixit ei, & magno clamore aures Jovis pulsabat. Jupiter vero commotus ab illis causas injuriæ quærit. Tunc unus ex illis ait Jovi.*

Uxorem ducere voluit. Omnis natio dixit, & magno clamore, convitijs non tacuerunt. Juppiter commotus illis causâ injuriæ. Tunc unus ex illis: Modo Sol unus est nobis, æstus vero, ut omnia turbet; ut deficiat omnis natura. Quidnam erit nobis, cum Sol creaverit filios? Ammonitio malis hominibus non gratulari.

FAB. XI.

FEMINA ET COLUBER.

Frigore & gelu [a] rigentem quædam pietatis causâ Colubrum ad se sustulit, & in latere suo habuit, & totâ hieme fovit. Refectus usque ad tempus cœpit esse injuriosus, & veneno multa fœdare, ne cum gratiâ exiret. Injuriosus pellitur. Qui sponte ingratos fovent; & cum exire velint, nocent.

[a] *Rigentem*] Romulus ed. *in frigore & gelu urgente.* Inepte. In fine particulam muto, *qui sponte ingrates fovent, ii cum exire v.* Hac mente, nocere ingratos cum exire velint. Perinde ut f. præced. & 31.

FAB. XII.

ASINUS IRRIDENS APRUM.

Asellus Apro cum fuisset obvius: Salve, inquit, frater. Indignatus Aper tacuit, atque indignum repudiavit officium, cur sic mentiri voluisset Asinus; dissimulansque agitavit

tavit caput. Qui extenso pede ostendit ungulam. Si me denegas similem tibi esse, Asinus inquit, hic rostro tuo similis. Non est? Aper vero cum vellet se facere generosum impetu, recessit ab irâ, & ait: Facilis est mihi vindicta de te, sed modo ignavo sanguine tuo me inquinari nolo; nam oportuisset injuriosum vel laceratum te relinquere. Monet insipientibus parci debere; stultos autem defendere, qui irrident melioribus.

FAB. XIII.

MUS URBANUS ET RUSTICUS.

Hospitio quondam Mus Urbanus exceptus est Rustici, & humili glande cœnavit. [a] Causam perfecit. Perduxit precibus post in urbem Rusticum, cellamque intravit plurimo refertam cibo. In quâ cum variis perfruitur, [b] [1] ostiis Cellarario repulsis, Urbanus

1 *hostiis*

[a] *Causam perfecit*] Puta itineris suscepti; quomodo hæc verba minime sunt sollicitanda. Alioquin si Romulum utrumque, qui habet *prandio perfecto*, sequi mavis, etiam lege *cœnam perfecit*.

[b] *Ostiis Cellarario repulsis*] Neglecta est hic præpositio *a*, quæ suo loco reponi debet. Egregium hic porro documentum est non ejusdem farinæ has esse membranas cum illis Romuli utriusque, dum adeo fideliter *cellararium* nobis exhibent, qui etiamsi non frequens occurrit, invenies tamen apud Ulpianum JCtum in l. 12. §. 9. P. de instruct. & instrum. leg. ubi eum explicat *ideo præpositum, ut rationes salvæ sint*. Præterea apud Paulum l. 3. Rec. Sent. t. 6. §. 72. qui inter urbana mini-

 steria

nus [c] notâ facile ſe abſcondit cavernâ. At miſer Ruſticus ignotâ trepidat domo, mortemque metuens circa parietes curſitat. Cellararius quæ voluit, ſuſtulit, clauſitque limen. Iterum Urbanus [2] Ruſticum ad eſcam hortatur. At ille: Vix poſſum valde perterritus. Putaſne veniet ille? Tantum ergo metuens ait. Haud has tu poteris invenire delicias. Qui [3] reſpondit: Me glans [4] ſecurum paſcat & [5] liberum. Quia melius eſt in paupertatulâ ſuâ ſecum vivere, quam divitiarum carpi ſollicitudine.

2 *ruſticam* 3 *rp.* 4 *ſecuram* 5 *liberam*

ſtetia *cellararios* recenſet; ad quem locum vide Cujacium, & ad l. ult. C. de divers. offic. Sic Briſſonius in Lexico *cellararios* profert ex Caſſiodori lib. 10, Varior. ep. 28.

c *Nota facile ſe abſcondit caverna*] Hæc & quæ ſequuntur *ignota trepidat domo*, niſi ipſa fabula a Phædro fuerit edita, ejus certe imitationem declarant. Sic enim l. 1. f. 11. *beſtia paventes exitus notos petunt*; ſic l. 4. f. 5. de muribus itidem *& artos circum trepidarent cavos*; ſic l. 2. f. 4 *cavernam* & *condidit ſeſe cavo*. Præterea verbum *curſitat* licet nunc apud Phædrum non legatur, nihilominus valde ejus genere delectatur, ut *concurſare* l. 2 f. 5. l. 3 f. 10. *jactitans* 2, 5. *fugitant* 1, 2. *clamitantem* 1, 9. *tonſitant* 2, 7.

FAB. XIV.

AQUILA ET VULPIS.

Vulpinos catulos Aquila [1] rapuit, & in [2] nidum, ut [3] pullis eſcam [4] daret, appoſuit. [5] Vulpis Aquilam rogabat, ut catulos

1 *rap.* 2 *nid.* 3 *pull.* 4 *dar.* 5 *vulp. aquil. rogb.*

los suos sibi [6] redderet. [7] Aquila contemnens [8] Vulpem, quasi esset inferior. At [9] Vulpis plena [10] dolore ab arâ ignem [11] rapuit cum faculâ, & [12] arbori circumdedit, damnis miscens sanguinem. Aquila ut a periculo mortis eriperet suos, incolomes natos supplex [13] Vulpi reddidit. Ut quamvis sublimes sint opibus, tamen humiles metuere debent.

6 redd. 7 Aqui. 8 vulp. 9 V. 10 dolor. 11 rap. 12 arbor. circumd. 13. vulp. reddid.

FAB. XV.

CORVUS ET VULPIS.

Corvus cum de fenestrâ [1] raptasset caseum, & comesse vellet, celsâ resedit in arbore. Vulpis hunc cum fuisset intuita, sic alloqui cœpit: O quis tuarum, Corve, pennarum vigor est? Si vocem haberes latiorem, nulla avium prior adesset tibi. Ille dum vult ostendere [a] vocem latiorem, emisit caseum; quem celeriter dolosa Vulpis avide dentibus rapuit. Tunc demum Corvus ingemuit, quia dolo esset deceptus, ut ignarus. Qui se lau-

1 raptat

a Vocem latiorem] Cogitavi quidem, an vellet *latiorem*; quia vero Romulus noster & editus conspirant, quum hic: *O corve, quis similis tibi, & pennarum tuarum qualis est nitor? qualis esset decor tuus, si vocem habuisses claram? Nulla tibi prior avis fuisset. At ille vana laude gaudens, dum placere vult & vocem ostendere, validius clamavit:* ille *clamare altius parans*, manum abstineo.

 a Su-

laudari verbis ſubdolis gaudent, ferunt [2] pœnas turpi pœnitentiâ indiſcretas.

2 pennas

FAB. XVI.

LEO SENEX, APER, TAURUS ET ASINUS.

Defectus annis, & deſolatus viribus Leo cum jaceret, extremum ſpiritum trahens, [a] ſuper fulmineis venit ad eum Aper, & dentibus ſe vindicavit. Ictu veteres injurias infeſtans Taurus, mox hoſtile cornibus confodit corpus. Aſinus ut vidit ferum impune lædi, calcibus cœpit. At ille ſuſpirans fortiter, indigne tulit. Mihi inſultat, inquit, [1] naturæ dedecus. Cum eſſet virtus mea, fuit honor, fuit timor, ut omnes viſo me fugerent, & opinio ipſa terreret. Plures quos benivolus non læſi, quibus & auxiliator fui, ipſi malignantur mihi; & quia ſum ſine viribus, nullus eſt timor priſtinus. Manſuetos eſſe in dignitate.

FAB.

1 natura

a *Super fulmineis venit ad eum aper* &c.] Sic edidi ex MSto, quorum verborum non difficilis eſt reſtitutio ex Phædro, ſi eum non preſſe ſequimur. Lege igitur & diſtingue, *fulmineis ſupervenit ad eum aper dentibus, & vindicavit ictu veteres injurias. Infeſtans taurus* &c. Sed hæc indicaviſſe ſufficit, & cuique de eo cogitare liberum eſt. Paulo infra adde *calcibus ferire, tundere* vel *percutere cœpit.* Nam Rimicii Romulus, *Spiritum extremum trahens, Aper ad eum venit iratus, & ſpumans dentibus ſuis fulmineis, & veterem iram vindicavit. Thaurus confodit cornibus hoſtile corpus Leonis. Aſinus autem dum ſic videret ferum dudum ſibi inimicam, calcibus illi frontem contudit.* a Blan-

FAB. XVII.

ASINUS, DOMINO BLANDIENS.

Asinus cotidie videbat Catellum [a] blandiri Dominum, & de mensâ saturari, & a familiâ illi largiri plura. Sic dixit [1] Asinus: Si Canem immundissimum sic diligit Dominus meus, & familia; & si obsequium illi fecero, qui multo plus melior sum quam Canis, & multis rebus laudabilior, & valde utilis: [2] aquæ sanctis fontibus alor; cibus mihi mundus datur: melior sum Catello; meliori vitâ frui possum, & maximum honorem habere. Cum hæc [3] Asinus cogitasset, vidit Dominum introire. Cui occurrens velocius, & clamans prosilivit, & ambos pedes super humeros Domini sui imposuit, eumque linguâ linguens, & ungulis vestem discerpens, Dominum

1 *as.* 2 *aqua* 3 *as. cogitass.*

a Blandiri Dominum] Non potui hanc infelicitatem intactam relinquere, quæ suo ævo condonanda est, eaque iterum se offert fab. 45, & apud Romulum fab. 25. Quod vero dicit *a familia illi largiri plura*, potest excusari, si Gellium inspicias l. 15 N.A. c. 13. Vereor tamen an ei auscultet, quia etiam alio abutitur ejus naturæ verbo fab. 57 *hos vere te fecit insidiari.* & perinde Romulus fab. 16 *alteri a Deo ulciscetur* qui fab. 36 alium abusum ostendit dicens *aliquid illi largiret*, prout noster fab. 60 *morasset.* In hoc autem loco nimiam mireris Romuli editi audaciam, qui ita concipit: *Asinus quotidie videbat catellæ blandiri a domino: de mensaque illam saturari, & familiam illi plura largiri.* Cæte-

 rum

Dominum suo fatigat pondere. Clamore Domini concitatur omnis familia; fustes & lapides arripiunt, & super Asinum insurgunt; faciunt debilem membris, costisque confractis [4] [b] abjiciunt ad præsepia lassum atque semivivum. Ne quis indignus ingerat, ut melioris officium faciat.

4 *abitiunt*

rum si tibi animus est ipsum narrationis genus cum fabula 45 conferre. & attentiore oculo adspicere, haud satis idoneam causam tibi adfore, cur a Phædro abjudices, lubens credo: præsertim quum hic lapidibus & fustibus armantur servi, ut l. 3 f. 2 rustici.

b *Abjiciunt ad præsepia*] Infra f. 27, *injuriosa abjecerit* abigendo scilicet, ut exponit ad Hygin. f. 127 Munkerus.

FAB. XVIII.
LEO ET MUS.

Dormiente Leone in silvâ [a] Mures agrarii ludentes, unus ex eis super Leonem [b] non voluntate transiit. Experrectus Leo celeri manu miserum Murem apprehendit. Ille rogabat

a *Mures agrarii ludentes*] Romulus apud Rimicium hanc constructionem evitat scribens, *Dormiente leone in silva, mures agrarii luxuriantes atque ludentes cursitant: alter casu super leonem transiliit.* Dum autem sic agit, quid aliud, quam ignorantiam suam prodit? Est enim valde usitatus ... apud Græcos, tum apud Latinos loquendi mos, ut ostendit Cl. Vir J. Perizonius ad Ælian. V. H. 2, 11, & Th. Munkerus ad Hygin. f. 74. Et eandem tetigerat quoque maternus Avus ad Senec. l. 4 de benef. 32.

b *Non voluntate transiit*] Livius l. 5 c. 52 *si non voluntate mansimus in Capitolio per tot menses obsidionis.* Dum autem dicit

gabat veniam ſibi dari, quia non voluntate fecerat. Leo [1] cogitabat, ſi occideret, crimen eſſet, & non gloria. Ignovit, & dimiſit. Poſt paucos dies Leo in foveam cecidit: captus mugire cœpit. Mus ut audivit, cucurrit. Ubi captum cognovit, ait: Non ſum inmemor beneficii tui. Tunc illius ligaturas luſtrare cœpit, nervos ſecare, & laxare [c] illius artis ingenia. Sic Mus Leonem captum liberum ſilvis reſtituit. Ne quis minimos lædere præſumat.

1 *cogitab.*

cit *rogabat veniam ſibi dari*, *poſt paucos dies*, *in foveam cecidit*, quæ utique Phædri ſunt, ſi inſpicias l. 1 f. 22, l. 1 f. 17 & l. 3 f. 2, quibus accedit uſitatiſſima illi phraſis *mugire cœpit*, quid amplius de tota fabula dubitamus? quum in metra redactam eandem Gudius auctori ſuo etiam reddiderit.

c Illius artis ingenia] Ingenioſas machinas & laqueos, perinde ut Phædrus *ingenium* ſumit pro ſcriptis ſuis, unde ad alia transfertur, ut apud Petronium *ingenioſa gula eſt*. Et ſæpe Romulus ut f. 16. 25. 26.

FAB. XIX.

GRUS, CORNIX ET DOMINUS.

Grus & Cornix inter ſe conjuratione unitâ firmaverunt, ut Grus Cornicem ab aliis Avibus defenſaret, & Cornix illi futura prævidendo narraret. Quæ dum ad agrum cujuſdam ſæpius advenirent, & grana quæ olim ſata fuerant, radicitus vellerent; videns Do-

minus ægri doluit, & ait Puero: Da mihi petram. Monuit Gruem; & caute se egerunt. Aliâ vero die audiens Cornix, quod petram quæreret, commonuit Gruem, ne mali aliquid pateretur. Perpendit Homo ille, [1] quod Cornix divinaret. Dicit Puero: Quando dixero, da mihi offam, porrige lapidem. Ille veniens dixit [2] Puero, ut daret offam; at ille porrexit [3] lapidem; [a] qui Gruem percussit, & crura ejus [4] fregit. Vulneratus Grus dixit [5] Cornici: Ubi sunt divina [6] auspicia tua? cur me non monuisti, quia mihi taliter habuit provenire? [7] Respondit: Mea hic intelligentia culpabilis non est; sed omnium malorum sunt dolosa consilia, [b] qui aliud dicunt, & aliud agunt. Qui promissionibus innocentes inducunt, quos postea lædere non cessant.

FAB.

1 *quia* 2 *p.* 3 *l.* 4 *fr.* 5 *corn.* 6 *hauspicia* 7 *R.*

a Qui gruem percussit] Dominus. Nam ad remotiorem personam relativum spectat, ut f. 12 *Qui extenso pede ostendit* Asinus: f. 40. *Quem protinus lancea peremit* Pastor. Nec infrequens hæc concisa oratio apud Hygin. ad cujus fab. 105. vid. Munkerus. Sed etiam Livio placuit, quam ad l. 37 c. 20 illustravit Gronovius avus.

b Qui aliud dicunt, & aliud agunt] Pulcra admonitio. Nam ibi proprie versari dolum, notum apud Ciceronem l. 3 de Offic. & JCtos. Fabulam non exhibet Romulus ed.; eamque alibi nondum legi.

a Cum

FAB. XX.

AVES ET HIRUNDO.

Aves quædam [a] cum essent in unum, viderunt Hominem linum seminantem, & pro nihilo habuerunt; Hirundo autem hoc intellexit. Convocatis Avibus retulit hæc omnia esse mala. Aves riserunt. Ut fruticavit, iterum ait [1] Hirundo: Malum est hoc, venite, eruamus. Si creverit, [b] retia facta, exinde humanis artibus capi possumus. Deriserunt [2] Aves verba [3] Hirundinis, & consilium ejus [4] contempserunt. Venit [5] Hirundo ad Homines, & transtulit se tota sub tecta eorum. Et quia [6] Aves ejus respuerunt monita, semper retibus capiuntur.

1 *hir.* 2 *a.* 3 *hir.* 4 *ct.* 5 *hir.* 6 *av.*

a Cum essent in unum] Frequens oratio in his fabulis ut fab. 39. 69. Reperitur autem apud alios quoque auctores, sed maxime Hyginum, ut collegit Munkerus ad f. 41. Hic tamen dubito an voluerit, *cum venissent in unum.*

b Retia facta] Pensilis casus nullo fundamento nixus est; nec potest tolerari ut f. 18. ideoque mutavit Romulus ed. *nam cum creverit, retia facient ex illo, & humanis quidem artibus capi possumus.* Sed videor simile quid observare apud Hygin. f. 63 *quam* (arcam) *piscator Dictys cum invenisset, effracta, vidit mulierem.* Rursus f. 145. *Juno formidinem ei* (Io) *misit, cujus timore ex agitata, coegit eam.*

FAB. XXI.

RANÆ REGEM PETENTES.

Ranæ vagantes in liberis paludibus, clamore regem petierunt a Jove, qui dissolutos mores

mores earum compesceret. Juppiter risit, & eis dedit [a] Tigillum; [1] quod subito missum levi motu sonoque terruit pavidum genus. Mersæ limo cum laterent diutius, forte una tacite profert amne caput; explorato rege cunctas advocat. Illæ timore postposito certatim [2] adnatant; supra turba petulans illusit. Quem cum inquinassent omni contumeliâ, alium rogantes misere ad Jovem. Iratus ille, qui fuerat datus cur esset illusus, misit illis [3] Hydrum, qui dente aspero [4] corriperet singulas. Qui dum avide eas vesci cœpisset, fugitant inertes, vocesque præcludit metus. Furtim mittunt per Mercurium mandata Jovi, ut desistat. E contra [5] Jupiter, Quia noluistis ferre bonum, ut feratis malum. Hunc sustinete malum, ne pejor adveniat vobis.

1 *quem* 2 *adnotant* 3 *hydram* 4 *comperisset* 5 *i.*

a Tigillum; quem missum terruit] Potuerat videri *tigillum* masculino genere usurpare, ut *spiculum* fab. 8; & forsan ita abusi sunt hoc tempore. Hic tamen locum tueri non potest; ideoque mutavi.

FAB. XXII.

COLUMBÆ ET MILVUS.

Columbæ cum semper fugerent, [a] & celeri-

a Et celeritate pennarum mutassent necem] Corrigebam *evitassent*. Sed repressit hunc impetum Justinus l. 20 c. 4 scribens de Crotoniensibus *mutassentque vitam luxuria*; ad quam

leritate pennarum mutassent necem, [b] consilio raptor vertit fallaciam, & genus incertum decepit [1] hoc modo: Cur sollicitum non eligitis unum, qui vos defendat? Cur me non eligitis pacto fœderis regem, [c] ut vos ab omnibus præstem injuriis? At illæ credentes tradunt se Milvo. Qui regnum adeptus cœpit vesci singulas, & ad imperium sævis unguibus exercere. Una ex [2] reliquis, Sic merito agitur, [3] quæ nostrum spiritum tali credidimus inimico. Qui se committit tutandum homini, auxilium cum quærit, exitium invenit.

1 *h. m.* 2 *rel;* 3 *qui*

quam locutionem noster forsasse respexit.

b Consilio raptor vertit fallaciam] Sic mutat locutionem Phædri, quam Justin. l. 38, 1 sic effert *consilia ad insidias transfert*. In fine dum concludit, *qui se committit tutandum homini*, mimis generale axioma ponit, ideoque recte conservavit uterque Romulus *homini improbo*.

c Ut vos ab omnibus præstem injuriis] Adjecerat Phædrus *tutas*, ut integram phrasin exhiberet; sed & hæc elegantissima est vix leris temporibus conveniens, prout videre licet apud Ciceronem l. 1 ad Familiar. ep. 4. *Ego tibi a vi præstare nihil possum.*

FAB. XXIII.

CANIS FIDELIS.

Nocturnus Fur cum panem misisset Cani, Canis ait: Linguam meam vis præcludere, pro re Domini mei ne latrem. Quæris ut

 [1] fa-

[1] facias per meam culpam lucrum. [a] Quia repentina libertas stultis grata esse videtur, peritis inita.

1 faciam

a Quia repentina libertas] Ita conjeci in textum, quia Codex habebat *repente*, cui eadem manu suprascriptum erat *tina*, *libertas*; quam vocem hic minus opportunam necessariis litteris auctiorem reddere gestiebam, sed non permisit Munkeri observatio ad Hygini f. 125, quem consule.

FAB. XXIV.

CALVUS ET HORTULANUS.

Calvus petiit a vicino Hortulano, ut daret sibi de melonibus. Ille deridens dixit: Vade Calve, [1] vade Calve, vel nolo meos dare melones, quia tu rusticus es. Hieme & æstate semper habeat mala tua calvaria: [a] muscæ & tabani super [2] frontem tuam, qui comedant & bibant sanguinem de ipso capite calvo, & postea stercorizent. Calvus iratus [b] evaginans gladium apprehendit capillos ejus, ut in-

1 v. c. 2 front:

a Musca & tabani] Recte hæc insecta conjungit, cujus rationem reddit Plinius l. 11. N. H. c. 28 *Reliquorum quibusdam aculeus in ore, ut asilo, sive tabanum dici placet: item culicibus, & quibusdam muscis.* Et de tabanis consulendus Virgil. l. 3 Georg. 146, & ibidem Servius. Glossæ *Tabanus*, μύωψ, τὸ ζῶον, οἶστρος. Iterum Μύωψ, *Tabanus*, *Vespa*, *Asilio*. Denique Οἶστρος, ὁ μύωψ, *Tabanus*, *Asilio*.

b Evaginans gladium] Justin. l. 1 c. 9 *gladio sua sponte evaginato*. In clausula vero quartum requiri casum arbitror,

interficeret. [3] Hortulanus accipiens unum melonem, percussit Calvum in fronte. Calvus prævalens amputavit caput ejus. Qui nec petentibus bona tribuunt, neque bonis sermonibus vel responsis tribuunt.

3 *hortl.*

tror, & lego, *neque bonos sermones vel responsa tribuunt.* Hæc autem & sequens fabula in Rimicii Romulo non exstant, & ex hoc MSto tantum mihi innotuerunt.

FAB. XXV.

CAVANUS, CATTUS ET MUS.

Cavannus petiit Cattum, ut adscensor sibi fieri liceret, [a] & secum quærerent, quæ colloquia inter se haberent. Cattus asportavit eum ad domum Muris. Rogavit Cavannus [1] Cattum, [b] ut clamaret se. Sic [2] fecit. Mus cum audisset vocem ejus, ad [3] ostium domus ve-

1 *c.* 2 *fec.* 3 *hostium*

a Et secum quærerent] Recte, si id voluit, nempe ut in progressu agitarent, quid ipsi inter se colloquerentur, scilicet ad iter fabulis fallendum. Alioquin solus Cattus posset videri cum Cavanno quærere velle, quæ colloquia inter se Mures haberent, ut sit eodem modo dictum, prout Hyginus f. 6 *Cadmus cum Harmonia uxore sua in dracones sunt conversi*, ubi Munkerus plura congessit exempla. Cæterum Cavannum esse noctuam vel ululam D. du Cange in suo Glossario egregie ex Eucherio l. 2 ad Salonium, Aldhelmo de Virginit. c. 28, & versu in velum Chintilani regis demonstrat. Ad cujus illustrationem quartum hoc exemplum optime inservit.

b Ut clamaret se] Sic MS. Sponte tamen patet id relativum hic turbas facere, quum Cattus Murem clamare deberet. Sed frequenter eo abuti-

venit, dixitque: Quid quæritis, aut quid dicitis? At illi, Volumus tecum loqui. Mus cognovit, quod malum consilium contra ipsum cogitassent. Dixit: Maledictus tu sis, Catte, tu dominus meus, & ipse qui super te sedet, & domus vestræ, & filii & filiæ, & omnis parentela vestra sit maledicta. Male huc [4] veneritis, & male sit redeuntibus vobis de [5] hoc loco. Qui inimicis suis bona loqui non queunt, qui sibi inimicitias imponunt, vel malum inter se ineunt.

4 *venissetis* 5 *h.*

ctitur Romulus ut fabb. 3, 4. 19. Addendus Munkerus ad Hygin. f. 60. Porro in epimythio auctorem *malum consilium* intelligere suspicor.

FAB. XXVI.

GRACULUS INTER PAVONES.

Tumens inani [1] Graculus superbiâ pennas Pavonum, quæ deciderant, sustulit, seque exinde ornavit; contempnens suos miscuit se Pavonum formoso gregi. Illi imprudenti pennas eripiunt avi, effugantque miserum. Male multatus [2] Graculus rediit mœrens ad proprium genus; a quo repulsus luctificam iterum sustinuit notam. Tunc quidam ex his, quem

1, 2 *graculus*

quem pridem despexerat, ait: [a] Contentus nostris si fuisses sedibus, & pati quod natura dederat, voluisses, nec illam expertus [3] contumeliam fuisses, nec ad hanc repulsus pervenire potuisses miseriam. Ne libeat gloriari quenquam bonis alienis, suis quin [4] potius vivere malle.

3 *contumel.* 4 *p.*

a Contentus nostris si fuisses sedibus] Ita egregie servat MS. Phædri manum, quam satis ab Neveleti Rimicio vindicaverunt Viri eruditi. Hæc annoto, quia Romulus ed. eadem macula aspersus erat hoc modo: *Unus autem sui generis illi ait: Dic nobis si non erubescis, si has vestes quas natura dedit, amasses; tibi sufficeissent. Nec ab aliis passus fuisses injuriam, nec a nobis pulsus fuisses.*

FAB. XXVII.

MUSCA ET FORMICA.

Musca & [1] Formica contendebant, [a] quis illarum melior esset. [2] Musca prior ait: Nunquid nostris te poteris [3] comparare laudibus? Ubi immolant episcopi prima gusto; in capite regis sedeo; omnibus matronis labia osculor; dulcia pungo: de quibus tu nihil rebus. Et [4] Formica contra, Hæc quæ dicis, improba pestis, laudas [5] importunitatem tuam. Num optata venis? Reges & matronas

1 *f.* 2 *M.* 3 *comparari* 4 *f.* 5 *importunitat.*

a Quis illarum melior] Bene, si JCtorum more loquitur; at quam opportunus hic sit, non definio. Romulus ed. *Musca & formica contendebant acriter, qua melior illarum esset.*

nas nominas, & castas tu importuna adoras, & dicis tui esse omnia, cum accedis fugata; undique quasi injuriosa[6] abjiceris; æstate vales, pruinâ veniente peris. Ego sum delitiosa, hieme secura sum mihi, me incolomem habeo, tempus meum gaudia sequuntur. Cur [7] ventilata a flabello pelleris sordida? Litigiosis, quibus dicitur, dicis dico, laudas [8] laudo, vituperas [9] vitupero; & qui se laudaverit, ad nihilum venit sæpe.

6 abjeceris 7 ventuata 8 do 9 ro

FAB. XXVIII.

LUPUS, ET VULPIS SIMIO JUDICE.

Lupus arguebat Vulpem iratus [1] furti crimine. [a] Hæc [2] negabat se non esse ream. Judex sedet Simius, ut verum diceret. Causam dicunt. [3] Respondet Simius: Tu non videris perdidisse, quod quæris: te credo [4] surripuisse, quod pulchre negas. Qui turpi fraude semel innotuit, etiamsi verum dicat, fidem amittit; & qui fraude inclaruit, semper turpiter vivit.

FAB.

1 forti 2 negb. 3 Rp. si. 4 surripuit

a *Hac negabat se non esse ream*] Repetit locutionem fab. 34, quæ quo pacto resolvi debeat, ostendit Romulus ed. scribens, *Illa negabat constanter, dicens se non esse ream.* Potuit tamen etiam respexisse Græcismum. Immo geminam negationem diu observarant Viri docti ad Plauti Epidicum 5, 1, 57. Etiam Phædrus 4, 14.

a Per-

FAB. XXIX.

MUSTELA ET HOMO.

Muſtela [1] apprehendit Murem fugientem; cepit eam Homo. Et [2] Muſtela, Rogo parce mihi, quia a moleſtis Muribus purgavi domum tuam. [3] Reſpondit Homo: Non cauſâ meâ facis; nam ſi pro me feciſſes, gratum haberem, & darem tibi veniam. Nam ideo Mures necas, ut comedas; reliquias noſtras, quas illi erant roſuri, totas devoras. Noli imputare vanum beneficium. Sic locutus; improba cito deperit. Qui dum ſe præſtare dicunt, ſic lædere potius memorantur.

1 *apprehend. mn.* 2 *ms.* 3 *R. ho.*

FAB. XXX.

PERDIX ET VULPIS.

Perdix dum in loco eminentiori ſederet, [1] advenit Vulpis, & dixit ei: Quam formoſa eſt facies tua? crura tua ut roſtrum, os tuum ſicut corallum. Nam ſi dormires, pulchrior eſſes. Credens ei [a] Perdix clauſit oculos; atque eam ilico Vulpis rapuit. At Perdix

1 *adven.*

[a] *Perdix clauſit oculos*] Perinde ut ſtultus Scholaſticus, qui θέλων ἰδεῖν εἰ πρέπει αὐτῷ κοιμᾶσθαι, καμύσας ἐσοπτρίζετο apud Hieroclem ἐν Ἀστείοις, quem auctiorem ali-

minus agri doluit, & ait Puero: Da mihi petram. Monuit Gruem; & caute se egerunt. Aliâ vero die audiens Cornix, quod petram quæreret, commonuit Gruem, ne mali aliquid pateretur. Perpendit Homo ille, [1] quod Cornix divinaret. Dicit Puero: Quando dixero, da mihi offam, porrige lapidem. Ille veniens dixit [2] Puero, ut daret offam; at ille porrexit [3] lapidem; [a] qui Gruem percussit, & crura ejus [4] fregit. Vulneratus Grus dixit [5] Cornici: Ubi sunt divina [6] auspicia tua? cur me non monuisti, quia mihi taliter habuit provenire? [7] Respondit: Mea hic intelligentia culpabilis non est; sed omnium malorum sunt dolosa consilia, [b] qui aliud dicunt, & aliud agunt. Qui promissionibus innocentes inducunt, quos postea lædere non cessant.

FAB.

1 *quia* 2 *p.* 3 *l.* 4 *fr.* 5 *corn.* 6 *hauspicia* 7 *R.*

a Qui gruem percussit] Dominus. Nam ad remotiorem personam relativum spectat, ut f. 12 *Qui extensо pede ostendit* Asinus: f. 40. *Quem protinus lancea peremit* Pastor. Nec infrequens hæc concisa oratio apud Hygin. ad cujus fab. 105. vid. Munkerus. Sed etiam Livio placuit, quam ad l. 37 c. 20 illustravit Gronovius avus.

b Qui aliud dicunt, & aliud agunt] Pulcra admonitio. Nam ibi proprie versari dolum, notum apud Ciceronem l. 3 de Offic. & JCtos. Fabulam non exhibet Romulus ed.; eamque alibi nondum legi.

a Cum

FAB. XX.

AVES ET HIRUNDO.

Aves quædam [a] cum essent in unum, viderunt Hominem linum seminantem, & pro nihilo habuerunt; Hirundo autem hoc intellexit. Convocatis Avibus retulit hæc omnia esse mala. Aves riserunt. Ut fruticavit, iterum ait [1] Hirundo: Malum est hoc, venite, eruamus. Si creverit, [b] retia facta, exinde humanis artibus capi possumus. Deriserunt [2] Aves verba [3] Hirundinis, & consilium ejus [4] contempserunt. Venit [5] Hirundo ad Homines, & transtulit se tota sub tecta eorum. Et quia [6] Aves ejus respuerunt monita, semper retibus capiuntur.

1 *hir.* 2 *a.* 3 *hir.* 4 *ct.* 5 *hir.* 6 *av.*

a *Cum essent in unum*] Frequens oratio in his fabulis ut fab. 39. 69. Reperitur autem apud alios quoque auctores, sed maxime Hyginum, ut collegit Munkerus ad f. 41. Hic tamen dubito an voluerit, *cum venissent in unum.*

b *Retia facta*] Pensilis casus nullo fundamenuo nixus est; nec potest tolerari ut f. 18. ideoque mutavit Romulus ed. *nam cum creverit, retia facient ex illo, & humanis quidem artibus capi possumus.* Sed videor simile quid observare apud Hygin. f. 63 *quam* (arcam) *piscator Dictys cum invenisset, effracta, vidit mulierem.* Rursus f. 145. *Juno formidinem ei* (Io) *misit, cujus timore exagitata, coegit eam.*

FAB. XXI.

RANÆ REGEM PETENTES.

Ranæ vagantes in liberis paludibus, clamore regem petierunt a Jove, qui dissolutos

mores earum compesceret. Juppiter risit, & eis dedit [a] Tigillum; [1] quod subito missum levi motu sonoque terruit pavidum genus. Mersæ limo cum laterent diutius, forte una tacite profert amne caput; explorato rege cunctas advocat. Illæ timore postposito certatim [2] adnatant; supra turba petulans illusit. Quem cum inquinassent omni contumeliâ; alium rogantes misere ad Jovem. Iratus ille, qui fuerat datus cur esset illusus, misit illis [3] Hydrum, qui dente aspero [4] corriperet singulas. Qui dum avide eas vesci cœpisset, fugitant inertes, vocesque præcludit metus. Furtim mittunt per Mercurium mandata Jovi, ut desistat. E contra [5] Jupiter, Quia noluistis ferre bonum, ut feratis malum. Hunc sustinete malum, ne pejor adveniat vobis.

1 *quem* 2 *adnitant* 3 *hydram* 4 *comperisset* 5 *i.*

[a] *Tigillum; quem missum terruit*] Potuerat videri *tigillum* masculino genere usurpare, ut *spiculum* fab. 8; & forsan ita abusi sunt hoc tempore. Hic tamen locum tueri non potest; ideoque mutavi.

FAB. XXII.

COLUMBÆ ET MILVUS.

Columbæ cum semper fugerent, [a] & celeri-

[a] *Et celeritate pennarum mutassent necem*] Corrigebam *evitassent.* Sed repressit hunc impetum Justinus l. 20 c. 4 scribens de Crotoniensibus *mutassentque vitam luxuria*; ad quam

levitate pennarum mutassent necem, [b] consilio raptor vertit fallaciam, & genus incertum decepit [1] hoc modo: Cur sollicitum non eligitis unum, qui vos defendat? Cur me non eligitis pacto fœderis regem, [c] ut vos ab omnibus præstem injuriis? At illæ credentes tradunt se Milvo. Qui regnum adeptus cœpit vesci singulas, & ad imperium sævis unguibus exercere. Una ex [2] reliquis, Sic merito agitur, [3] quæ nostrum spiritum tali credidimus inimico. Qui se committit tutandum homini, auxilium cum quærit, exitium invenit.

1 *h. m.* 2 *rel;* 3 *qui*

quam locutionem noster forsasse respexit.

b Consilio raptor vertit fallaciam] Sic mutat locutionem Phædri, quam Justin. l. 38, 1 sic effert *consilia ad insidias transfert.* In fine dum concludit, *qui se committit tutandum homini*, nimis generale axioma ponit, ideoque recte conservavit uterque Romulus *homini improbo.*

c Ut vos ab omnibus præstem injuriis] Adjecerat Phædrus *tutas*, ut integram phrasin exhiberet; sed & hæc elegantissima est vix seris temporibus conveniens, prout videre licet apud Ciceronem l. 1 ad Familiar. ep. 4. *Ego tibi a vi præstare nihil possum.*

FAB. XXIII.

CANIS FIDELIS.

Nocturnus Fur cum panem misisset Cani, Canis ait: Linguam meam vis præcludere, pro re Domini mei ne latrem. Quæris ut [1] fa-

[1] facias per meam culpam lucrum. [a] Quia repentina libertas stultis grata esse videtur, periculis inita.

1 *faciam*

a Quia repentina libertas] Ita conjeci in textum, quia Codex habebat *repente*, cui eadem manu suprascriptum erat *tina*, *libertas*; quam vocem hic minus opportunam necessariis litteris auctiorem reddere gestiebam, sed non permisit Munkeri observatio ad Hygini f. 125, quem consule.

FAB. XXIV.

CALVUS ET HORTULANUS.

Calvus petiit a vicino Hortulano, ut daret sibi de melonibus. Ille deridens dixit: Vade Calve, [1] vade Calve, vel nolo meos dare melones, quia tu rusticus es. Hieme & æstate semper habeat mala tua calvaria: [a] muscæ & tabani super [2] frontem tuam, qui comedant & bibant sanguinem de ipso capite calvo, & postea stercorizent. Calvus iratus [b] evaginans gladium apprehendit capillos ejus, ut in-

1 *v. c.* 2 *front:*

a Musca & tabani] Recte hæc insecta conjungit, cujus rationem reddit Plinius l. 11. N. H. c. 28 *Reliquorum quibusdam aculeus in ore, ut asilo, sive tabanum dici placet: item culicibus, & quibusdam muscis.* Et de tabanis consulendus Virgil. l. 3 Georg. 146, & ibidem Servius. Glossæ *Tabanus*, μύωψ, τὸ ζῶον, οἶστρος. Iterum Μύωψ, *Tabanus*, *Vespa*, *Asilio*. Denique Οἶστρος, ὁ μύωψ, *Tabanus*, *Asilio*.

b Evaginans gladium] Justin. l. 1 c. 9 *gladio sua sponte evaginato.* In clausula vero quartum requiri casum arbitror,

interficeret. [3] Hortulanus accipiens unum melonem, percussit Calvum in fronte. Calvus prævalens amputavit caput ejus. Qui nec petentibus bona tribuunt, neque bonis sermonibus vel responsis tribuunt.

3 *hortl.*

tror, & lego, *neque bonos sermones vel responsa tribuunt.* Hæc autem & sequens fabula in Rimicii Romulo non exstant, & ex hoc MSto tantum mihi innotuerunt.

FAB. XXV.

CAVANUS, CATTUS ET MUS.

Cavannus petiit Cattum, ut adscensor sibi fieri liceret, [a] & secum quærerent, quæ colloquia inter se haberent. Cattus asportavit eum ad domum Muris. Rogavit Cavannus [1] Cattum, [b] ut clamaret se. Sic [2] fecit. Mus cum audisset vocem ejus, ad [3] ostium domus ve-

1 *c.* 2 *fec.* 3 *hostium*

a Et secum quærerent] Recte, si id voluit, nempe ut in progressu agitarent, quid ipsi inter se colloquerentur, scilicet ad iter fabulis fallendum. Alioquin solus Cattus posset videri cum Cavanno quærere velle, quæ colloquia inter se Mures haberent, ut sit eodem modo dictum, prout Hyginus f. 6 *Cadmus cum Harmonia uxore sua in dracones sunt conversi*, ubi Munkerus plura congessit exempla. Cæterum Cavannum esse noctuam vel ululam D. du Cange in suo Glossario egregie ex Eucherio l. 2 ad Salonium, Aldhelmo de Virginit. c. 28, & versu in velum Chintilani regis demonstrat. Ad cujus illustrationem quartum hoc exemplum optime inservit.

b Ut clamaret se] Sic MS. Sponte tamen patet id relativum hic turbas facere, quum Cattus Murem clamare deberet. Sed frequenter eo abuti-

venit, dixitque: Quid quæritis, aut quid dicitis? At illi, Volumus tecum loqui. Mus cognovit, quod malum consilium contra ipsum cogitassent. Dixit: Maledictus tu sis, Catte, tu dominus meus, & ipse qui super te sedet, & domus vestræ, & filii & filiæ, & omnis parentela vestra sit maledicta. Male huc [4] veneritis, & male sit redeuntibus vobis de [5] hoc loco. Qui inimicis suis bona loqui non queunt, qui sibi inimicitias imponunt, vel malum inter se ineunt.

4 *venissetis* 5 *h.*

ditur Romulus ut fabb. 3, 4. 19. Addendus Munkerus ad Hygin. f. 60. Porro in epimythio auctorem *malum consilium* intelligere suspicor.

FAB. XXVI.

GRACULUS INTER PAVONES.

Tumens inani [1] Graculus superbiâ pennas Pavonum, quæ deciderant, sustulit, seque exinde ornavit; contempnens suos miscuit se Pavonum formoso gregi. Illi imprudenti pennas eripiunt avi, effugantque miserum. Male multatus [2] Graculus rediit mœrens ad proprium genus; a quo repulsus luctificam iterum sustinuit notam. Tunc quidam ex his, quem

1, 2 *graculus*

quem pridem despexerat, ait: a Contentus nostris si fuisses sedibus, & pati quod natura dederat, voluisses, nec illam expertus [3] contumeliam fuisses, nec ad hanc repulsus pervenire potuisses miseriam. Ne libeat gloriari quenquam bonis alienis, suis quin [4] potius vivere malle.

3 *contumel.* 4 *p.*

a *Contentus nostris si fuisses sedibus*] Ita egregie servat MS. Phædri manum, quam satis ab Neveleti Rimicio vindicaverunt Viri eruditi. Hæc annoto, quia Romulus ed. eadem macula aspersus erat hoc modo: *Unus autem sui generis illi ait: Dic nobis si non erubescis. si has vestes quas natura dedit, amasses; tibi suffecissent. Nec ab aliis passus fuisses injuriam, nec a nobis pulsus fuisses.*

FAB. XXVII.

MUSCA ET FORMICA.

Musca & [1] Formica contendebant, a quis illarum melior esset. [2] Musca prior ait: Nunquid nostris te poteris [3] comparare laudibus? Ubi immolant episcopi prima gusto; in capite regis sedeo; omnibus matronis labia osculor; dulcia pungo: de quibus tu nihil rebus. Et [4] Formica contra, Hæc quæ dicis, improba pestis, laudas [5] importunitatem tuam. Num optata venis? Reges & matronas

1 *f.* 2 *M.* 3 *comparari* 4 *f.* 5 *importunius.*

a *Quis illarum melior*] Bene, si JCtorum more loquitur; at quam opportunus hic sit, non definio. Romulus ed. *Musca & formica contendebant acriter, qua melior illarum esset.*

nas nominas, & castas tu importuna adoras, & dicis tui esse omnia, cum accedis fugata; undique quasi injuriosa [6] abjiceris; æstate vales, pruinâ veniente peris. Ego sum delitiosa, hieme secura sum mihi, me incolomem habeo, tempus meum gaudia sequuntur. Cur [7] ventilata a flabello pelleris sordida? Litigiosis, quibus dicitur, dicis dico, laudas [8] laudo, vituperas [9] vitupero; & qui se laudaverit, ad nihilum venit sæpe.

6 abjeceris 7 ventuata 8 do 9 ro

FAB. XXVIII.

LUPUS, ET VULPIS SIMIO JUDICE.

Lupus arguebat Vulpem iratus [1] furti crimine. [a] Hæc [2] negabat se non esse ream. Judex sedet Simius, ut verum diceret. Caussam dicunt. [3] Respondet Simius: Tu non videris perdidisse, quod quæris: te credo [4] surripuisse, quod pulchre negas. Qui turpi fraude semel innotuit, etiamsi verum dicat, fidem amittit; & qui fraude inclaruit, semper turpiter vivit.

FAB.

1 forti 2 negb. 3 Rp. si. 4 surripuit

a Hæc negabat se non esse ream] Repetit locutionem fab. 34, quæ quo pacto resolvi debeat, ostendit Romulus ed. scribens, *Illa negabat constanter, dicens se non esse ream.* Potuit tamen etiam respexisse Græcismum. Immo geminam negationem diu observarunt Viri docti ad Plauti Epidicum 5,1,57. Etiam Phædrus 4, 14.

a Per-

FAB. XXIX.

MUSTELA ET HOMO.

Mustela [1] apprehendit Murem fugientem; cepit eam Homo. Et [2] Mustela, Rogo parce mihi, quia a molestis Muribus purgavi domum tuam. [3] Respondit Homo: Non causâ meâ facis; nam si pro me fecisses, gratum haberem, & darem tibi veniam. Nam ideo Mures necas, ut comedas; reliquias nostras, quas illi erant rosuri, totas devoras. Noli imputare vanum beneficium. Sic locutus; improba cito deperit. Qui dum se præstare dicunt, sic lædere potius memorantur.

1 *apprehend. mu.* 2 *mu.* 3 *R. ho.*

FAB. XXX.

PERDIX ET VULPIS.

Perdix dum in loco eminentiori sederet, [1] advenit Vulpis, & dixit ei: Quam formosa est facies tua? crura tua ut rostrum, os tuum sicut corallum. Nam si dormires, pulchrior esses. Credens ei [a] Perdix clausit oculos; atque eam ilico Vulpis rapuit. At Perdix

1 *adven.*

a *Perdix clausit oculos*] Perinde ut stultus Scholasticus, qui θέλων ἰδεῖν εἰ πρέπει αὐτῷ κοιμᾶσθαι, καμύσας ἐσοπτρίζετο apud Hieroclem ἐν Ἀστείοις, quem auctiorem ali-

dix fletu [2] permixto locuta eſt: Per artium tuarum virtutes te quæſo, ut antea nomen meum dicas, & ſic me devorabis. At ubi [3] Vulpis Perdicem voluit nominare, aperuit os, & evaſit Perdix. Dolens [4] Vulpis ait: Heu me quid opus fuerat loqui? [5] Reſpondit Perdix: Heu me dormire quid neceſſe erat, cui ſomnus non venerat? Qui ubi eis neceſſarium non eſt, loquuntur; & ubi eos vigilare oportet, dormiunt.

2 *permixta* 3 *vulp. perdc.* 4 *vulp.* 5 *R. per.*

aliquando a nobis exſpectare poteris. Quanquam autem hæc fictio hodie in Phædro deſit, ſi non ab ejus ingenio prolata eſt, valde tamen æmulatur fabulæ 15 narrationem; & ipſa cum duabus ſequentibus apud Romulum ed. non reperitur.

FAB. XXXI.

CANIS ET CROCODILLUS.

Canes currendo bibunt ex Nilo flumine, ne rapiantur a Crocodillis. Rapidius igitur currens ex Nilo cum bibere cœpiſſet Canis, dixit ei Crocodillus: Quod libet labio tuo, noli vereri. [1] Reſpondit: Facerem quod dicis, niſi eſſe te ſcirem carnis meæ cupidum. Qui conſilia adverſa ſapientibus [a] ſummini-

1 *R.*

a Summiniſtrant, & non ſolum] Si permitteret Codex, leviter mutarem, *ii non ſolum.* Sed ſufficit, ſi pro *etiam* ſumas ut f. 11.

a Et

ministrant, & non solum quod operantur, perdunt, verum ab eis turpiter deridentur.

FAB. XXXII.
CANIS ET VULTUR.

Canis & Vultur humana effodientes ossa, Canis thesaurum invenit; [a] & violatus manens, injecta est illi divitiarum cupiditas, per quas sacrilegii lueret pœnas. Aurum dum custodit, oblitus ciborum copiâ fame est consumptus. Cui adstans Vultur ait: O Canis merito luis, quia concupisti regales opes trivio contentus, & in stercoribus educatus. Quid tibi profuit has invenire divitias? Avaris, qui ante exhausti perire possunt, quam cupiditatis rabie satiarentur.

a *Et violatus manens*] Clara hæc Codicis scriptura, sed corrupta. Itaque ex Phædro repone *ob violatos manes*. Paulo post lege *in copia*, vel saltem intellectu supple. Similiter dein ex eodem *trivio conceptus*.

FAB. XXXIII.
RANA RUPTA ET BOS.

In prato conspexit Rana Bovem [1] pascere; tacta invidiâ tantæ magnitudinis rugosam implevit pellem; natos suos interrogat, si esset altior [2] Bove. Illi negaverunt. Rursus [3] magis cutem extendit suam; & simili modo illi dixe-

1 *pasc*; *aucta* 2 *bovi* 3 *majus*

dixerunt: Bos [4] te superior est. Novissime indignata, dum vult validius inflare se, rupta interiit. Inopi, qui dum vult imitari potentem, ipse se punit.

4 *tibi*

FAB. XXXIV.

ASELLUS, BOS ET VOLUCRES.

[a] Asellus & Bos uno sociati jugo trahebant. Bos dum conatur paulo validius incedere ægro cornu, Asellus ipse negabat nullum levamen accipere. Solus atm Bos cornu, & confestim mortuus est. Asinum Bobulcus carne bovis exaggerat. Qui multas inter plagas ruptus cecidit, & expiravit media pondere collapsus. Tua Volucres advenientes ad præ-

a *Asellus & bos* &c.] Hæc fabula propter membranæ tenuitatem majoribus litteris concepta erat, quas etsi satis obscuras, prout potui, fideliter exhibeo. Videtur autem hujus narrationis argumentum, ab Equi & Asini fabula, quæ inter Æsopias 125 numeratur, cui sane similis est, petitum. Quod fragmentum, quanquam ab utroque Romulo destitutus sim, hoc pacto instaurare conabor. Sed observandum in prima statim fabula decesse id, quod Volucres mortuo exprobrant Asino, Bovem scilicet precantem, Asinumque immitem se illi exhibentem. Itaque sic sensum expleo *Asellus & Bos uno sociati jugo trahebant. Bos illum rogavit, ut fortius traheret. Noluit immitis. Bos dum conatur paulo validius incedere ægro cornu, Asellus ipsum irridens negabat nullum levamen accipere. Solus trahens Bos corruit, & confestim mortuus est. Asinum Bubulcus carne Bovis exaggerat, qui multas inter plagas ruptus cecidit & exspiravit medio* (vel *nimio*) *pondere collapsus. Tunc volucres* &c.

b La-

prædam convolant dicentes: Si te precanti mitem exhibuisses Bovi, non jam inmaturo nos interitu pasceres tuo.

FAB. XXXV.
LEO ET PASTOR.

Leo errans spinam calcavit, & illico ad Pastorem caudâ blandiens venit; cui ait: Non perturberis, auxilium a te imploro; non indigeo esca. Sublatum Hominis posuit in gremio pedem. Pastor spinam exemit pede. Redit in Silvas Leo. Post autem Pastor falso incusatur crimine, & [a] ludis proximis emissis bestiis projicitur. Passim dum dis-

[a] *Ludis proximis emissis bestiis projicitur*] Sunt mere Romana ab Amphitheatro vel Circo petita, in quibus illa sub Cæsaribus quotidie contingebant; & propria ibi hæc verba. Sic enim Suetonius simpliciter in Julio 39 dicit *ludis*, & de Nerone c. 29 *fera pelle contectus emitteretur e cavea.* Sic Justinus l. 44 c. 4 *infantem tramite angusto, per quem armenta commeare consueverant, projici jubet*, quod Suetonius verbo *objicere* libentius exprimit in Calig. 27. *equitem objectum feris*, & in Domit. 10. Hanc elegantiam prius notare debui. Jam vero si cum A. Gellio, qui in l. 5. N. A. c. 14 eandem historiam memoriæ prodidit, conferas, miram sane convenientiam animadvertere licet; ex quibus id tantum excerpam, quod sicut noster bis servat hæc verba *sublatum hominis posuit in gremio pedem*, ita Gellius *ac sublatum pedem ostendere*, & *pede in manibus meis posito.* Antiquitatem ergo satis probavi. Sed amplius procedere oportet, & mecum Phædro hoc auctarium gratulari. Quid enim? nonne ejus ingenium agnoscis in his locutionibus *falso incusatur crimine, ludis proximis, rex jussit,* quæ eadem prorsus invenies l. 3, 10, l. 5, 5 & 7, l. 1, 14. Denique metrum tentemus, quod sine operosa mutatione sic digerere licet.

discurrunt feræ, agnovit Leo, qui fuerat [b]medicinatus, qui pridem fuerat. Sublatum rursus Pastori ponit in gremio pedem. Hoc Rex ut cognovit, Leoni jussit parci, & mansuetum Pastorem dimitti parentibus. Quia bene gerenti nunquam poterunt adversariorum prævalere supplicia.

Errans Leo calcavit spinam, & illico
Accessit ad Pastorem cauda blandiens,
Et dicit non ullo perturberis metu:
Auxilium a te imploro, non indigeo victu.
Hominis sublatum ponit in gremio pedem.
Pastor spinam exemit. Redit in silvas Leo.
Post falso Pastor incusatur crimine,
Et ludis proximis emissis bestiis
Projicitur. Passim autem dum discurrunt feræ,
Agnovit, qui medicinam pridem fecerat.
Sublatum rursus ponit in gremio pedem.
Hoc ut cognovit Rex Leoni parcere,
Et liberum Pastorem dimitti jubet.

b *Medicinatus*] Ita interpretari velle videtur auctor, quod Phædrus elegantius *medicinam facere*. Sed debet hoc adspici, prout alii dixerunt *remediari*, ut docet Munkerus ad Hygin. fab. 101.

FAB. XXXVI.

CULEX ET TAURUS.

Culex cum Taurum provocasset viribus, venerunt populi cuncti, ut spectacula cernerent. Tunc parvus Culex, Satis, inquit, habeo, quod venisti comminus. Parvus tibi

bi factus sum judicio tuo. [a] Hic [1] se per auras sustulit pennâ levi, lusitque turba, & Tauri destituit minas. Quod si fuisset validæ cervicis memor, pudendum [b] contempserat inimicum, & ineptæ materiæ non fuisset gloriatio. Quia ille sibi famam diminuit, qui se indignis comparat.

1 *semper*

[a] *Hic se per auras sustulit penna levi*] Abjecta lineola quæ voculæ *se* incumbebat, integrum Phædri (hujus enim esse hoc inventum & scriptum satis colligit, qui Phædrum noverit) versum restitui. Nam sic l. 2, 6 *venit per auras cornix*. Et nescio, an non deinde legas *lusitque tuta*. Fabulam non agnoscit Romulus ed. Cæterum quoniam semel me abstulit impetus, dum adhuc fervet, experiamur hunc quoque locum ad pristinam, prout licet, formam reducere:

Culex cum Taurum provocasset viribus,
Cuncti venerunt, ut spectacla cernerent.
Ille, Est satis, quod sic venisti cominus.
Parvus tibi factus sum judicio tuo.
Hic se per auras sustulit penna levi,
Lusitque tuta, & Tauri destituit minas.
Quod si fuisset valida cervicis memor,
Hostem pudendum Taurus contempsisset, &
Inepta esset materia nulla gloria.
Minuit famam, quisquis se indignis comparat.

[b] *Contempserat, vidisset*] Sic MS. quæ quomodo inter se conveniant, invenies apud Munkerum ad Hygini fab. 148.

FAB. XXXVII.

EQUUS ET ASINUS.

Insolens faleris Asino occurrit Equus, qui fatigatus malis [a] transeunti tardius dedit viam. Vix,

[a] *Transeunti tardius dedit viam*] Hygin. f. 67 *cum viam regi dari juberent.*

b Ge-

Vix, inquit, me teneo, ut non te rumpam calcibus. Reticuit ille, & [b] gemitu testatur deos. [c] Equus currendo ruptus parvo in tempore ad villam est missus. Hunc onustum stercore ut vidit Asinus, tali eum irrisit verbo: [d] Quid tibi gloriose quondam faleris? modo ad contemptam redisti miseriam. Felices qui ullum despiciunt, dubii meminere debent, quia nesciunt, quid futuri sunt.

b. *Gemitu testatur deos*] Mandata ipsis sui ultione, ut eum respiciant, quomodo loquitur Justinus 39, 3 & 14, 4.

c *Equus currendo ruptus*] Plin. l. 28 N. H. c. 20 *& rumpi equos, qui vestigia luporum sub equite sequantur.*

d *Quid tibi gloriose quondam faleris*] Græcismus, ut apud Suetonium in Vespas. τί γὰρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς. Nisi vocem *faleris* putes referendam ad proxima *gloriose quondam*, ut sub verbis *quid tibi* intellexerit *contigit* vel *evenit*. Sed vix fero τὸ *meminere*, quod in fine occurrit. Ipsam vero fabulam Phædri ingenio deberi satis ostendunt hi versus.

Occurrit faleris insolens Asello
Equus.
Asellus transeunti tardius dedit
Viam malis fatigatus. Vix me, dicit
Equus, contineo, ut non te rumpam calcibus.
Conticuit ille, & gemitu testatur Deos.
Equus currendo ruptus parvo in tempore
Ad villam est missus. Hunc onustum stercore
Ut vidit Asinus, tali eum irrisit verbo:
Quid faleris gloriose quondam tibi? dicit,
Modo ad contemptam qui redisti miseriam.

FAB. XXXVIII.

VOLUCRES, QUADRUPEDES ET VESPERTILIO.

Bellum gerebant Volucres cum Quadrupedibus, & modo vincentes iterum vinceban-

bantur. Vespertilio dubios eventus timens, superiorem quem primo vidisset, ad [1] eum se conferebat. In pacem cum redissent pristinam, [a] utroque generi [b] fraus decepta apparuit. [c] Damnatus ergo tam pudendo crimine, lucem refugiens [d] atris se condidit tenebris noctis. Quia quisquis à duabus partibus se vindicari desiderat, utrisque ingratus turpiter vivit; melius est enim [e] hostem non habere, quam vinci.

FAB.

1 *eam*

a *Utroque generi*] Supra f. 6 *alio intendere*, & iterum f. 43. De qua terminatione sive archaismo, ut Munkerus appellat, eum vide ad Hygin. f. 5.

b *Fraus decepta apparuit*] Phædrus 1, 13. *ingemuit corvi deceptus stupor.*

c *Damnatus ergo tam p. crimine*] Phædr. 1, 17 *damnata falso testimonio.*

d *Atris se condidit tenebris*] Phædrus 2, 4 *condidit sese cavo* & f. 8 *se bubuli condidit.* Jam satis fideliter servatum esse nobis; Phædri metrum sequentes versus planum facient.

Bellum gerebant Volucres cum Quadrupedibus,
Et rursus vincebantur vincentes modo.
Tunc Vespertilio dubios eventus timens,
Ad superiorem quem vidit, se contulit.
In pacem deinde cum redissent pristinam,
Utrique fraus generi decepta apparuit.
Damnatus ergo tam pudendo crimine,
Et lucem refugiens atris se condidit
Tenebris noctis. ----- -----

e *Hostem non habere quam vinci*] Ita MS. Sed confusum verborum ordinem arbitror; neque enim convenit hæc apodosis cum priore thesi. Quapropter lego *melius est enim hostem habere, quam non vinci.* Ejus egregium exemplum præbet MettiusFuffetius.

Ut

FAB. XXXIX.
LUSCINIA, ACCIPITER ET AUCEPS.

In nidum Lusciniæ cum sederet Accipiter, ut [a] specularetur auritum, parvos in illo invenit pullos. Supervenit Luscinia, & rogabat illum parcere pullis. Ait [1] Accipiter: Faciam quod vis, si mihi bene cantaveris. Et quamvis se præcederet animo, tamen metu pavebat; denique coacta, & dolore plena [2] cantavit. [3] Accipiter qui prædam captaverat, ait: Non bene cantasti; apprehenditque unum de [4] pullis ejus, & devorare cœpit. Ex diverso venit Auceps, & calamo silenter levato [5] Accipitre contra-cto

1 *acc.* 2 *cantav.* 3 *acceptor* 4 *p.* 5 *acceptore*

Ut specularetur auritum, parvos] Ultimæ voci lineolam, qua prior littera onerabatur, abstuli; in quo utrumque Romulum secutus sum. Nam iisdem fere verbis editus hanc fabulam narrat, nisi quod cum nostro *auras* retinet pro *aurito*, per quem hoc loco Leporem, qui æque ac Asinus, similiter apud Phædrum l. 1. f. 11. *auritulus* dictus, his partibus corporis insignis est, intelligo, prout fab. 57 Lepus ab Aquila oppressus est. Deinde lego *& quamvis ei praecederet ex animo*, ut meliorem spem conciperet, tamen metu, ne fraudulentum prætextum inveniret Accipiter, liberata non erat, sed de prolis salute anxia cantavit. Hoc Rimicii Romulus alio sensu, *quamvis animus excideret, tamen metu coacta, pavens & dolore plena cantavit.* Denique in extrema fabula corrigo *accipitre contacto visco in t. dejecit* nempe ipsum, ubi idem Romulus, *& calamo cum silentio levato accipitrem visco contractum in t. d.* De fabula vero

cto visco in terram dejecit. Qui aliis insidiantur, timere debent, ne capiantur.

vero addere nil possum, nisi quod Phædri indolem retinet in his *rogabat illum parcere pullis*, & *devorare cœpit*, de quibus ad f. 18.

FAB. XL.

LUPUS, VULPIS ET PASTOR.

Lupus [a] in [1] cubili suo [b] per tempus, ut menses haberet, quo plures posset delitias frui, maximam congregaverat prædam. Vulpis ut hæc agnovit, venit ad ejus cubile; tremulâ inquit voce: Recte non vidi te; tristis fui per dies, quia non peragravisti in iis. Lupus livore ait: Non de me sollicita venisti, sed ut aliquid accipias; non gratis venisti: scio te fraudem petere. His verbis valde irata [2] Vulpis Pastorem ovium adiit,

1 *cubile* 2 *vulp.*

a In cubile] Usitatissimum vocabulum de ferarum latibulis, sed hic propterea notandum, quod a Phædro, cui maxime amatum est, habere videtur: perinde ut hæc verba *quem protinus lancea peremit*, l. 4, 28 *necuit hominem protinus*. Nec a Phædri fictione alienum est, quod ait, *ipsa cum in venatores incideret, comprehensa a canibus, laniata, ait*, ut apparet ex fab. seq. & apud Phædrum 1, 12. & 2, 8.

b Per tempus ut menses haberet] Non intellexit eximium hoc loquendi genus Rimicii Romulus, dum ita deturpat; *Lupus prædam multam in cubili congregaverat per tempus, ut plures menses haberet, quo posset delicatius vivere. Vulpes ut hæc agnovit, venit ad cubile æmula ejus & Lupo dixit: Salve frater, quia non vidi te per*

sos

adiit, & dixit illi: Ageres mihi gratias, si tibi inimicum gregis tui hodie tradidero, & jam non sis sollicitus. Pastor, serviam tibi, & tribuam quicquid volueris. Ilico clausum ostendit Lupum, quem protinus lanceâ peremit, & æmulam de alieno saturavit Vulpem. Deinde ipsa cum in Venatores incideret, comprehensa a Canibus, laniata ait: Modo majora feci mala, & modo pereo, [3] quæ alterum feci occidere. Qui aliis nocet, timeat, ne noceatur ab altero.

3 *qui*

tot dies, merito tristis fui, eo quod non peregrinasti mecum. Cui Lupus ut agnovit livorem, ait. Scilicet considerare hæc verba oportet eodem modo, quo usus est Hyginus f. 126 *cum jam tempus intercederet*, ubi frustra sollicitant. Et Justinus l. 20 c. 5 *qui ante menses Romam incenderant.* Immo ipse Phædrus 1,18. *actis mensibus.* Tum sicut noster *per dies.* idem l. 44 c. 4 *post dies,* unde non opus erat dicere *per tot dies.* Sed posset etiam prior formula videri ab Græcis petita, qua dicebant *καιρὸν ἔχω μὴ ἀσθενήσας diu non ægrotavi*, ut loquitur Hierocles ἐν Ἀστείοις n. 23. & Johann. in Euang. c. 11 v. 17. Porro ex eodem Rom. pro *recte* videtur legendum *frater.*

FAB. XLI.

CERVUS AD FONTEM.

Cervus ad fontem bibens, sua cornua magna videns nimium laudare cœpit; crura vero

vero tenuia vituperat. Mox [a] audiens Canum & Venatorum voces latratus, fugâ per campum ducitur, & sic evadit. At ubi [1] silva suscepit, & magnitudo illum [2] cornuorum venantibus rete retinuit: tunc mortem videns deceptuosa vituperat. Quia plerumque laudamus inutilia, & vituperamus bona.

1 *silvas* 2 *Sic MS.*

a Audiens canum & venatorum voces latratus] Aliter ordinari debere hæc verba quilibet videt *canum latratus & venatorum voces*, idque observat Romulus ed. *Cum hæc cervus ad fontem videret, venatoris vocem audivit, & canes repente latrare.* Sic tamen, ut edidi, habet liber vetus. Et forsan de industria invertit & separat conjungenda, ut per illa *voces latratus* sic juncta in posita amplificaret varietatem strepitus.

FAB. XLII.

VIPERA ET LIMA.

[a] In officinâ cujusdam Fabri introiit Vipera; dum quæreret aquam & cibos, rodere cœpit Limam. Lima arridens ait ad Viperam: [b] Quid ad me improba? tuos vis lædere

a In officina introiit] Ita neglecto motu alium casum præpositioni apponit, quem repetit f. 51. Cujus multa exempla collegit Munkerus ad Hygin. f. 92, & Schefferus ad Phædrum 5, 1.

b Quid ad me improba &c.] Propius ad Phædrum interpolavit Romulus ed., cujus hæc sunt verba: *Quid vis improba? Tu meos quæris rodere dentes; ipsa sum quæ consuevi rodere ferrum: sed & si quid fuerit aspe-*

re dentes, ipſumque ſi quid forte eſt lene, [2] aſperum fricando. Facile namque [3] frangeres [4] dentes, ſi [5] angulos torſero. Duobus malis, malus pejorem non dolet; nec iniquus iniquum ſuperat; & durus ad durum non hæret.

2 aſpri 2 frangeris 4 dentibus 5 angelo aſperum, fricando facio lene, quæ ſi angulum terſero, ſi quid ibi eſt, ipſa præcido.

FAB. XLIII.

OVES ET LUPI.

Oves & Lupi cum certaſſent prælio, vicerunt Oves tutæ præſidio Canum. [a] Lupi legatos mittunt; [b] fictam quærunt pacem, [c] ut dederent ſe ipſis cuſtodibus ſuis. Sperantes illæ

a Lupi legatos mittunt] Phædrus 4, 17 *canes legatos olim miſere.*

b Fictam quærunt pacem] Phædr. 1, 1 *fictis cauſis opprimunt.* Ut omittam illud *cæperunt carpere.* Sed ut plena ſit fides Phædri ingenio nos gratias debere, quod hanc fabulam olim inter ſuas expoſuit, verſus ſic inſtauravi.

Oves cum prælio certaſſent & Lupi,
Oves vicerunt tutæ præſidio Canum.
Lupi legatos mittunt, & fictam quærunt
Pacem, cuſtodes omnes ſi dederent ſibi.
Sperantes illæ æternum ſtatuerunt fœdus:
Dederunt mox, quod petierant. Lupi pace
Poſt irrita facta cœperunt ſingulos
Nullo adjuvante defenſore carpere;
Seroque ſtulti Oves conſilii pœnitet.
Auxilium traditum poſt fruſtra quis quærit.

c Ut dederent ſe ipſis cuſtodibus ſuis] Commode per appoſitionem hæc intelliguntur. Nam

illæ æternum ſtatuere fœdus; dederunt, quod ipſi petierant. Poſt pace factâ irritâ, cœperunt carpere nullo exiſtente defenſore. Sero pœnitentes conſilium, [1] quod primo dudum habuerant, accuſabant. Qui auxilio tradere ſe vult [2] alio, fruſtra poſtmodum requirit, quando invenire nequit.

1 *quem* 2 *Sic MS.*

Nam promittunt Lupi ſe cuſtodes earum fore. Sprevit hoc Romulus ed., dum ita explicat: *Tunc Lupi legatos mittentes petunt concordiam & pacem, jurando ſi Canes obſides darent, & e contra Oves Luporum catulos ab eis reciperent. Ita fecerunt, & jurando fidem dederunt illis.* Quod autem noſter dicit *pace facta irrita*, ejus rationem explicat idem his verbis, *Ovibus in pace poſitis, lupini catuli ululaverunt. Illi vero Lupi putantes Oves natos vexare, veniunt undique ſimul, & dicunt pacem ab illis ruptam, & cœperunt laniare Oves* &c. Sed notes velim illud *pœnitentes conſilium*, in qua locutione multus eſt Romulus noſter, ut fab. 8. 13. 17.

FAB. XLIV.
HOMO ET ARBORES.

[a] Securis cum fuiſſet facta, poſtulabat Homo Arbores ſibi manubrium dare de ligno, [1] quod eſſet omnium firmius! Oleaſtro juſſe-

1 *quod eſſet quod eſſet*

a Securis cum fuiſſet facta] Exhibuit jam Cl. Gudius fabulam, eamque triplici modo numeris ſuis reſtituere conatus eſt. Proptera me continere ſtatueram, ne tanti Viri laudes obtrectare viderer. Sed modeſtiam illam expugnavit ſimplicitas noſtri Codicis, quam inobſervatam præterire tam fidelis horum verborum, quæ legenti ſua ſponte fere ligamenta ſua offerunt, cuſtodia non ſivit. Itaque ſic ordinabam.

ſerunt [2] ceteræ. Sumſit Homo manubrium; aptatâ ſecure ramos & robora magna, omniaque quæ vellet, indubioſe cœpit incidere. Sicque Quercus Fraxino ait: Digne & juſte patimur, [3] quæ roganti hoſti noſtro manubrium dedimus. Ut cogites ante, ne hoſti aliqua præſtes.

2 cętera 3 qui

Securis cum fuiſſet facta, poſtulat Homo, Arbores ſibi ut manubrium darent
De ligno, firmius quod eſſet omnibus.
Oleaſtro cetera jubent. Homo ſumſit.
Secure mox aptata cœpit robora
Quæcunque vellet, & ramos incidere.

Sic Quercus Fraxino, Nunc merito cadimur,
Roganti quæ hoſti dedimus hoc manubrium.
Auxilia hoſti ne des, ut ante cogites.
Vel
Ut cogites, auxilia ne præſtes hoſti.

FAB. XLV.
CANIS ET LUPUS.

Canis & [1] Lupus dum venirent, ait [2] Lupus Cani: Unde, frater, ſic mitis & bene pinguis? [3] Canis reſpondit: Quia ſum cuſtos domus latrones contra venientes; nullus paſſim ingreditur; nocturnum furem nuncio; effertur mihi panis, dantur oſſa, & carnem projiciunt familia; ſi quid ei ſuperat, quod faſtidit ciborum, mihi porrigitur; ita venter meus impletur; me blandiuntur omnes; mihi aqua abunde eſt; otioſus vitâ fruor. Et [4] Lupus, Bene, inquit, frater: vellem

ita

1 *l.* 2 *l.* 3 *C. r.* 4 *l.*

ita mihi contingeret sic otiosum satiari cibo, & sub tecto melius vivere. Et [5] Canis, Si vis bene vivere, veni mecum in cubile; ne timeas. Cum ambularent simul, vidit [6] Lupus Cani collum catenatum, & ait: Dic, frater, quid est hoc, quod circa collum tuum video? Et [7] Canis, Quia sum acrior, in die ligor, nocte solvor; intra domum sum vagus; ubi volo, hic dormio. Et [8] Lupus, non mihi est opus frui ista, quæ laudasti. Vivere volo liber, ad quod evenerit mihi; ubi volo, peragro; nulla catena me tenet; viæ mihi patent in campo, aut in montibus; nullus metus. Pecora prius gusto; [a] Canibus ingenium deludo. Vive ut consuesti; ego consuete vitâ fruar. Quia dulcis est libertas, & est lætus bene agendi; & in liberis sunt sævitia, in servis virtus & gloria; & pollere videmus servos, & pro nihilo esse liberos.

5 c. 6 l. 7 c. 8 l.

[a] *Canibus ingenium deludo*] Sic habet Ms., pro quo ocius emenda *canes ingenio deludo*, quod postea apud Romulum ed. deprehendi, qui iisdem fere verbis hanc fabulam refert. Verum in epimythio vix possunt illa intelligi *& est laetus bene agendi*. Sic enim proprie ad litteram exhibetur; quam diphthongum quum non soleat ita ubique exprimere, & sententia sit difficilis, vide an velit *et est locus*, vel *facultas*.

FAB. XLVI.

SIMIA ET VULPIS.

Simia rogabat Vulpem, ut de magnitu-

dine caudæ suæ sibi daret, unde nates suas turpissimas tegeret. [a] Quid enim? Me, inquit, ita sit cauda tantæ longitudinis, quam per terram trahis! Cui Vulpus, Pilus fiat longior, & magna, ut per terram illam traha...p..tras & spinas. De divite & [1] paupere; increpat ....re; qui non das id, quod tibi superat.

1 *pauperem*

a Quid enim Me inquit &c.] Quanquam obscurissimæ & maxime evanidæ hic erant litteræ, tantum tamen ex Msto colligere potui, cujus restitutio ab Romulo nostro & edito petenda est. Quia vero plane intactam hanc partem relinquere non potui, sequenti modo tentavi: *Quid enim timeo, inquit, ut tuta sit cauda tanta longitudinis, qualem tu per terram trahis! Cui Vulpis, Pilus fiat longior, et major cauda, ut per terram illam traham per petras et spinas. De divite et paupere. Te increpat avare, qui non das, id quod tibi superat.* Postremum Romulo ed. acceptum refero, qui sic habet: *Rogabat Symeus Vulpem, ut de magnitudine caudæ sua sibi aliquid daret, unde nates suas turpissimas tegeret. Quid enim (inquit) utile est tibi tantum pondus caudæ sine causa, tantaque longitudinis cauda, quam per terram trahis? Cui Vulpes dixisse fertur. Utinam longior esset ac major, ut per terram illam traherem, et per petras, spinas et lutum, ne tu meo tegmine pulchrior videaris. Locuples et avare te monet hac fabula, qui non das, quod tibi superat.*

FAB. XLVII.

NEGOTIATOR ET ASELLUS.

Negotiator in viâ cum Asello [a] festinabat nundinas. Onusto Asino, male flagello & fuste

a Festinabat nundinas] Primæ vocis ultima syllaba potest videri absorpsisse præpositionem, itaque illa restituta legi debere *festinabat ad nundinas. Onustum*] *asinum male fla-*

fuste cædebat, ut citius [1] posset venire lucri causâ. Asellus [2] ut post mortem esset securus, quassatus moritur. De pelle ejus facta sunt tympana & cilibra, quæ semper [3] battuuntur; & qui putabat post mortem esse securus, post mortem cæditur. Quia multi post mortem vexantur.

1 *potuisset* 2 *ne* 3 *battuntur*

flagello &f. c. Vel eam sponte omisit ut fab. seq. *accessit boves & præsepia.* Sed etiam retineri potest *onusto asino*, ut sic causam reddat, cur Asinus lente processerit, & a Domino cæderetur, quia nempe *nimio onere* gravatus erat, quam brevitatem supra notavi. Sequentia vero *cilibra* parum mihi cognita sunt. Romulus ed. habet *timpana & cribrella quæ semper percutiuntur.* Et sane de pellibus fieri cribra solere patet ex Cicerone lib. 2 de divinat. c. 27.

FAB. XLVIII.
CERVUS ET BOVES.

Turnacus ut strepitum Venatorum effugeret, [a] proxima Venatorum fuit villa, & se in [1] bovile conjecit. Refert Bovi, quâ causâ fu-

1 *ovile*

a Proxima venatorum fuit villa] Hæc cum antecedentibus minime videntur cohærere, unde quasi planius illa exhibere voluit Romulus ed. *Cervus perturbatus strepitu venatorum & tremefactus, ut venatores evaderet, in proximam villam fugit, et se in stabulum conjecit.* Sed in nostro est major simplicitas & abruptio, quæ solet supervenire narranti, & hinc etiam in scriptis sæpe occurrit. Porro, notes, velim rarissimum *Turnaci* vocabulum pro Cervo, quia in alterum ejus exemplum, qua nunc usus sum diligentia in evolvendis Glossariis, quæ cadentis Latini sermonis novas voces recensent, nondum incidi, quum tamen ejus litteras satis clare in Ms. Codice conspexerim.

fugeret. Et Bos, [b] Ut quid tibi miſer voluiſti huc ad necem currere? Silvâ te melius celares, aut ungulâ ſecares campum, quam hic [2] devorareris. At ille contra ſupplex, [c] Me modo celate tantum, & cum venerit ſero, ibo quâ voluero parte ſecurus. Hæc cum dixiſſet, obſcuro ſe condidit loco. Cum fœnum & frondes, & omne genus pabuli Bobulci ſtabulo reponunt, Cervum vero non viderunt. Sic ingrediens Major, qui omnia luſtrat, nec ipſe Cervum vidit. Gaudens Ferus agebat gratias [3] Bubus, quod fugientem celaſſent. Tunc unus ex illis ait Cervo: Salvum te volumus, ſi ab illo non videaris, qui [4] centum oculos habet; nam ſi te viderit ille, ſtatim vitam tuam eripiet. Cum Bos Cervo hæc diceret, ingreditur Dominus; & quia nuper viderat neglecte ſuos & macilentos Boves, acceſſit Boves & præſepia. Qui ut vidit [5] ina-

2 *devorares* 3 *bub.* 4 *c*

b Ut quid] Elegans Græciſmus, frequens in Novo Teſtamento; ſed Latinis quoque amatus, quem illuſtrat Munkerus ad Hygini f. 196.

c Me modo celatettro et cum] Ita Msti lectionem in hac obſcura pagina aſſequutus ſum; quam notam quomodo explicarem, diu dubius hæſi; & tentabam, an eſſet *territum*. Sed poſt inſpecto Rimicii Romulo, ei aſſentire coactus ſum, dum relinquit, *Vos me modo inquit celate, tantum dum erit ſero ibo viam quam volo ſecurus. Hæc cum dixiſſet, obſcuro ſe condidit loco.*

d Gau-

[5] inania esse, & pabulum contra positum, dum irascitur Bobulcis, ad summam frondes vidit, & alta Cervi cornua. Ait: Quid est hoc? Et vocat ad se Bobulcos, & quærit, unde Cervus hic veniret. Nescire se dixerunt. [d] Gaudet Dominus. Miles venit quær... & miratur cum suis perdies. Dominum plurimum posse in omnibus .videre: & quia fugientes non .. sui, sed fortunâ salvantur.

FAB.

5 *inanes*

d *Gaudet dominus. Miles venit quae ... et miratur, cum suis perdies*] Tantum detegere potui, ideoque qua ratione & quam rem quærens introducatur militis persona, non conjicio. In epimythio tamen legebam *et quia fugientes non securitate, sed fortuna salvantur*; in quo superstites litterarum ductus me fefellisse postea ex Romulo ed. comperi, qui sic exponebat, *Fugientes non sunt sui, sed f. s.* Quoniam vero idem non adeo deviat, ut alias solet, postremam ejus partem adscripsi. *Cumque hac Bos Cervo diceret, ecce ingreditur Dominus, et quia die superiori viderat per negligentiam Servorum, Boves esse macilentos: accessit videre præsepia. Qui ut vidit vacua esse et pabulum contra positum, dum irascitur Bubulcis, assumpsit ipse frondes ut Bobus daret: et statim vidit erecta cornua Cervi; et ait, quid est hoc? & vocavit ad se Bubulcos: et quærit unde cervus hic esset? illi nescire se dixerunt. Et quomodo huc venit? inquit. At stabularii omnes plena fide jurant se nescire. Gaudet Dominus de Cervo, quem non quæsitum invenit. Miratur, et cum suis per aliquot dies laute vixit.* Unde patet quomodo noster intelligat *frondes vidit, et alta cervi cornua.* Alioqui mutabam frontem. Præterea hinc lucem accipiunt, quæ noster in fine tam abrupte proponit.

a Ille

FAB. XLIX.

LEO REGNANS ET SIMIA.

Cum sibi Feræ regem fortissimum Leonem fecissent, [a] ille voluit . . re Regum bonam famam consequi. Factis renuntians prioribus, mutat consuetudinem: pecus nullum lædere, sanguinem non sumere, sanctam & incorruptam fidem servare juravit. Ex hac re posteaquam pœnituit, & mutare naturam non potuit patientiâ, cœpit [1] aliquas ducere in secretum; fallaciâ quærere, an os fœtens haberet. [2] Quæ dicerent, Putit, & [3] quæ, Non putit, omnes laniabat, & saturabatur [4] earum carnibus. Cum de multis hoc faceret, vocat Simiam ad se; interrogat, si putidum haberet os. [5] Illa vero cinnamomo suavius olere dixit, &

1 *aliquos* 2 *qui* 3 *qui* 4 *eorum* 5 *ille*

a Ille voluit . . re regum] Ex Romulo ed., qui in hac parte hunc auctorem presse sequitur, nisi quod ineptias istas de Simia tandem a Leone devorata, perinde ut noster Romulus, addit, insere voculam *more*. Cæterum notabile admodum est hoc supplementum ad intelligentiam fabulæ 12 l. 4, quæ apud Phædrum hnc usque mutila, & velut dispersis a corpore membris lacera jacuit. Quid enim aliud volunt hæc verba? *Ex hac re posteaquam pœnituit, et mutare naturam non potuit patientia*; quæ utique paraphrasin exhibent versus illius *Postquam labare cœpit pœnitentia*. Itaque postquam insigni cum ignominia tam diu sequenti fœditati adhæsit, ab ea liberatus pristinum locum dehinc postliminio recipiat; quod maternus Avus frustra monuerat.

a Ve-

& quasi deorum altaria. Leo vero erubuit laudatorem; cum sederet, mutavit fidem. Quia loqui pœna est, & tacere tormentum.

FAB. L.

LUPUS, PASTOR ET PERSECUTOR.

Cum Persecutorem fugeret Lupus, & a Pastore esset visus, quâ parte fugeret, & in quo loco se celaret, timore plenus Pastorem rogabat: Oro per omnes spes tuas, ne me [1] innuas; cui non se facere jurat malum. At Pastor, Esto securus; ostendam aliam partem. Venit Persecutor dicens: Peto te, vidisti hac parte venisse Lupum? Et [2] Pastor, [a] Venit.. Sed sinistrâ parte, ut & dextrâ parte assignat oculis Persecutori loca. Ille non intelligens abiit festinanter. Tunc Pastor Lupo ait: Quam gratiam habebo, quod te ipse celaverim? Et [3] Lupus, Lin-

1 *innues* 2 *p.* 3 *l.*

a Venit.. Sed sinistra parte] Ita constitutum hunc locum in Ms. inveni & reliqui, cui quid desit, ab Romulo nostro pete. Sed minore verborum ambage alter, *venit quidem, sinistram partem ostendens, illic velocius quære. Sed dextera oculis designat persecutori locum, ubi lupus latebat.* In fine excidit relativum, *qui peccat corde*; vel conjunctio posita est pro *& qui* more Hygini.

a Una

Linguæ tuæ gratias ago; oculis vero tuis fallacibus maximam opto cæcitatem. Bilinguibus, & qui habent blanda verba; & infidelis est, peccat corde.

FAB. LI.

HOMINES DUO FALLAX, VERAX ET SIMIÆ.

Duo Homines unus Fallax, & alter Verax iter simul agebant; & cum ambularent, venerunt in provinciam Simiarum. Quos ut vidit *a* una ex multitudine Simiarum, ipse qui prior esse videbatur, jussit eos teneri, & interrogat, quid de illo Homines dicerent; jussitque omnes sibi similes adstare ante se ordine longo, dextrâ lævâque, & sibi sedile parari, sicut viderat Imperatorem aliquando, taliter sibi adstare fecit. Jubentur Homines adduci in medio. Ait Major: Quis sum ego? Fallax dixit: Tu es Imperator. Ite-

a Una ex m. simiarum, ipse qui prior] Ludit auctor in genere, quasi Simiæ se masculos censeri velint; Homines vero illas altera terminatione pronunecient. Itaque dedita opera hanc varietatem auctor induxisse videtur, ad quam neuter Romulus, qui ambo Simios introducunt, attendit. Propterea animadvertere necessarium duxi. Ad quam rationem referri quoque forsan potest, quod præcedenti fab. 49 neglecta voce *fera*, quam in principio posuit, semper masculino genere usus est, consentiente ibi Romulo ed. Et sæpe alibi occurrit.

b Pri-

Iterum [1] interrogat: Et isti, quos vides ante me stare? [2] Respondit: Hi sunt comites tui, [b] primicerii, campiductores, militares officii. Et quia mendacio laudatus est cum turbâ suâ, jubet illum munerari, & quia adulatus est, omnes illos fefellit. Verax autem apud se cogitabat: si iste mendax, qui omnia mentitur, sic accepit, ego si verum dixero, magis munerabor. Tunc ait major Simia: Dic & tu, quis sum ego, & hi quos ante me vides? At ille, qui semper veritatem amabat, & loqui consueverat, [3] respondit: Tu es vere Simia, & omnes hi similes tui Simiæ semper sunt. Jubetur, continuo lacerari dentibus & unguibus, eo quod verum dixisset. Malis hominibus, qui fallaciam & malitiam amant, honestatem & veritatem lacerant.

FAB.

1 *interrog.* 2 3 *rp.*

b *Primicerii, campiductores*] Romulus ed. *Isti sunt milites tui primicerii, campiductores milites & alii officiales*; & longius discedit ab his noster. At procul dubio hic auctor commodius & rectius ista vocabula mutuatus est ab posteriore aula Imperatorum Romanorum, ubi tales munerum appellationes viguerunt, quod ample patet ex Codice Justin. Et de *primiceriis* inspiciendus H. Valesius ad Amm. Marcellinum 18, 3; de *campiductoribus* vero idem ad l. 19, c. 6 & 15, 3, ubi etiam notavit Lindenbrogius.

FAB. LII.
HOMO ET LEO.

Homo & Leo cum inter se quærerent, quis eorum esset superior, & quærerent hujus altercationis testimonium, [a] venerunt ad monumentum, ubi erat pictum, quomodo ab Homine suffocabatur Leo; hanc ostendit Homo picturam in testimonium. Cui Leo, Hoc ab homine pictum est; nam si Leo pingeret, nosset quomodo suffocasset Hominem. Sed ego dabo tibi verum testimonium. Induxit Leo Hominem in amphitheatrum, & ostendit illi verâ fide, [1] quomodo Homo a Leone suffocatur. Hinc dixit: Colorum non sunt opus testimonia, sed veritate facta. Mendacium colore compositum a veritate actorum parari, ubi est certa probatio.

1 quo

a Venerunt ad monumentum] Quasi esset Herculis Nemeæum leonem occidentis, vel Lysimachi ferocissimæ ejus generis bestiæ objecti apud Justin. l. 15.

FAB. LIII.
CICONIA, ANSER ET ACCIPITER.

Ciconia dum ad solitum devenisset stagnum, invenit Anserem se creberrimis mergen-

gentem undis. [a] Inquirit ab eâ, cur hoc faceret. [1] Respondit: Consuetudo nobis est; nam escam in limo reperimus, & Accipitris impetum ad nos venientis sic evadimus. Cui Ciconia, Sum [2] Accipitre ipsa fortior. Sed tene amicitiam mecum, & faciam te illi insultare. Credidit, & protinus ejus petivit auxilium. Quæ dum cum illâ foras in agrum exiret, ilico Accipiter supervenit, & comprehensum Anserem unguibus devoravit. Cui Anser e contra: Qui se tam flebili patrono conjungit, pejori nece finiri debet. Qui se ab illis defendi desiderant, qui tutationem præstare non possunt.

[1] *rp.* [2] *accipitri*

[a] *Inquirit ab ea*] Tolerari potest genus, si Anserem feminam hic introduci supponimus; in quo quum paulo post non perseveret auctor, potius est credere avis respectu eum sic loqui; quapropter integram MSti lectionem servavi. Fabulæ narratio valde mihi congrua videtur Phædri fabulæ 9 l. 1.

FAB. LIV.
CANIS PARTURIENS ET SCROFA.

Canis parturiens Scrofam rogavit, ut in ejus cubile fœtus exponeret. At illa roganti concessit. Ingressa illa ut fœtus exponeret. Post iterum rogavit, ut catuli firmi exirent. Roganti & hoc concessit. Paululum

post tempus illa cœpit cubile suum repetere & cogere, ut exiret. [a] Et illa ab stomacho sic ait: Quid turbaris? Cur injuriosa sic mihi occurris? Et si es fortior nobis, reddam locum tibi aliquando. Bonis, qui amittunt sua, [b] dum credunt verba blanda; & blanda verba pluribus faciunt contumelias.

a *Et illa ab stomacho sic ait*] Balbus apud Ciceronem l. 9 ad Attic. ep. 8 *me ab singulari amore & benivolentia, quæcunque scribo, tibi scribere.* Ipse Cicero pro S. Rosc. c. 30 *vir ab innocentia clementissimus.* Cæterum ipsam fabulam mutata tantummodo persona Phædrum auctorem profiteri neminem latere puto. Extat enim 1, 19.

b *Dum credunt verba blanda*] Insolens locutio, ubi tertius requirebatur casus. Similiter Romulus fab. 21.

FAB. LV.

OVIS ET CORNIX.

Ovi Cornix consedit tundens dorsum ejus. Hoc cum diu fecisset, ait Ovis: Cani temptationem hanc si fecisses, non ferres latratum ejus. [a] Et Cornix collo . . forti sedet, & novi quando sessum eo, quia sum antiqua annis, improba innocentibus, amica

a *Et cornix collo . . forti sedet*] Tali modo hiantem hic Mstum inveni, cuius supplementum quum difficulter divinarem, juvit tandem Romulus ed., qui sic exhibet: *At cornix talia ovi ait: Collibus equidem fortibus sedeo, & scio quem lacessere debeo, quia sum* &c. Quasi hic reponendum esset, *collo equidem fortis sedeo.* In sequentibus vero cogitabam antea, *Sic maledictam* vel *maleficam dii voluerunt;*

ca vero asperis. Sic me....atam dii voluerunt. Qui ab infimis suâ innocentiâ injuriantur.

runt; sed quum inspecto eodem Romulo acrius Msti litteras earumve reliquias consideravissem, non aliter concludere potui, quam Mstum eandem Romulo sententiam proferre; nempe, *Sic me creatam dii voluerunt.*

FAB. LVI.

FORMICA ET CICADA.

Hiemis tempore Formica ex savernâ[a] frumentum trahens secabat, quod æstate colligens collocaverat. Esuriens autem Cicada rogabat eam, ut aliquid sibi daret. Cui Formica, Quid agebas in æstate? At illa, Quia mihi vacabat spes, oberrabam cantando. Ridens Formica & frumentum includens ait: Si æstate cantasti, hieme salta.

[1] Pi-

[a] *Frumentum trahens secabat*] Quia integra grana edere nequibat, quod cum nostro Romulo optime congruit. Legit tamen Rimicii Romulus *siccabat*, quasi hyberna humiditate madefactum sereno die aeri exposuisset Formica, ne corrumperetur. Sed ut videas, quomodo luserint hi parahrastæ in exponendis fabulis, totam narrationem addo. *Hyemis tempore Formica frumentum trahens ex caverna siccabat, quod æstate colligendo coagulaverat. Cicada autem esuriens rogabat eam, ut daret illi aliquid de cibo ut viveret. Cui Formica, Quid fecisti, inquit, in æstate? At illa, Non mihi vacavit, quia per sepes oberravi cantando. Ridens Formica ac frumentum includens dixit: Si æstate cantasti, hyeme nunc salta.* In epimythio loco suo mota est particula *ne*, quam sic ordina, *laboret*, *dum manus habuerit*, *ne dum petierit*, *non accipiet*: nisi cum ed. Romulo mavis *laboret*, *ne dum minus habuerit*, *& petierit*, *n. a.*

[1] Pigro, ut tempore certo laboret, ne dum manus habuerit, dum petierit, non accipiet.

1 *Pigris*

FAB. LVII.

LEPUS, PASSER ET AQUILA.

[a] Oppressam Aquilam & fletus dantem Lepus objurgabat Passerem: Ubi pernicitas tua est? & cur sic pedes cessarunt? Hoc vere te fecit insidiari & sustinere. Talibus dum loquitur, ipsum Accipiter necopinum rapuit, questuque vano clamitantem interfecit. Et Aquila, Solatium, quod tu securus nostra irridebas mala, simili querelâ [b] facta deploras tua. Stultis, qui sibi non cavent, & aliis consilium dant.

FAB.

a Oppressam aquilam &c.] Mirum sane qua de causa hæc fabula adeo sit turbata, idque eo magis, quod pictura ex Phædri mente recte atque ordine instituta sit. Illo igitur auctore emenda, *Oppressum ab Aquila & fletus dantem Leporem objurgabat Passer* &c. Tum dein, *Et Lepus*, *Solatium*, Nescio porro, an non auctor voluerit *tibi fecit insidiari & sic teneri.*

b Fata deploras tua] Sic ex Phædro emendandum putabam librariorum vitium, perinde ut sit in Hygini f. 36. Quod tamen postea non adeo necessarium esse vidi, quia hac simplici voce Phædrum forsan explicare voluit noster auctor.

a Est

FAB. LVIII.
EQUUS ET ASINUS.

Equum cum rogaret Asinus parum sibi hordei dare: Libenter, inquit, si possem, & pro dignitate nostrâ large tribuerem. Sed cum venerimus ad præsepia vespere, dabo tibi folliculum plenum farre. Et Asellus, Qui rem tam parvam negas, quid in majori te facturum existimem? Qui cum magna promittunt, parva negant; [a] est in dando le.. tena .. pollicitando.

[a] *Est in dando le . . tena . . pollicitando*] Fideliter expono, quod in aspera nec satis polita membrana detexi; nec aliunde auxilium requirere potui, quia neuter Romulus illam servavit. Sensum igitur vix exsculpo. Cogitavi quidem *in dando lentus, tenax in pollicitando.* Itaque etsi promissa negligit, tamen non desistit ab ista jactantia, quam constanter retinet. Sic Sueton. in Julio 67 *milites tenaciores armorum.* Si vero lubet etiam hic versus quærere, sequentes an tibi se probent, examinare poteris.

Equum rogans Asellus hordei sibi
Parum daret; Libenter, inquit, si possem,
Pro dignitate nostra large tribuerem.
Sed cum venerimus ad præsepe vespere,
Folliculum farre plenum donabo tibi.
Asellus inquit: Qui rem tam parvam negas,
Quid in majori te facturum existimem?
Qui magna cum promittunt, parva denegant.

FAB. LIX.
LEO SENEX ET VULPIS.

Leo in annis deficiens languere fingebat,

E 4 & per

& per eam fallaciam ceteræ beſtiæ ad viſitandum eum introibant. Leo vero continuo edebat eas. Vulpis autem veniens ſtetit ante ſpeluncam, & ſalutavit eum; interrogata a Leone, cur non introiret, [1] reſpondit: Quoniam video ineuntium veſtigia, non egredientium. Quia aliorum privata doctrina nobis debet eſſe ſanitas; & in domum potentis facile eſt intrare, exire autem jam tardum eſt.

1 *rp.*

FAB. LX.
CULEX ET CAMELUS.

Culex dum forte in Cameli dorſo [a] moraſſet cum omnibus ſarcinis, deinde ſaliens dixit: Ideo me ocius ad terram mitto, ne te attritum gravem. At ille, Gratum eſt, inquit; ſed nec impoſito te ſentire pondus potui, nec depoſito habere levamen. Qui ſe ſuperiori abſque ordine coæquare nititur, in deſpectum notatus devenit.

a *Moraſſet*] Ex vergentis ſæculi licentia, ut Hygin. fab. 100, *Si ſe ab hoſte tutaſſet*, ubi plura collegit Munkerus.

FAB. LXI.
HOEDUS ET LUPUS.

Capella cum eſſet fœta, & partum vellet cuſtodire, ignarum Hœdum, ne aperiret [1] oſti-

[1] ostium, monuit, sciens quod multæ feræ stabula pecorum circuirent. Monuit, & abiit exinde. Venit Lupus vocem assimilans matris. Hœdus ut vocem audivit, ait: Vocem matris audio; sed tu fallax & inimicus es, & sub matris voce nostrum quæris sanguinem bibere & carnes edere. Quia præcepta parentum audire laus est.

1 *hostium*

FAB. LXII.

CANIS SENEX ET DOMINUS.

Canis cum Domino suo semper satisfecisset juvenis venando, [a] angustiâ gravatus, & suâ ætate tardus, dentem autem infirmum ferens, cum comprehenderet Leporem, [b] Lepus sua virtute de ore Canis exivit, & quia non fuerat læsus, per campum fortiter Canem fatigat. Irascitur Dominus Cani, & objurgat ineptum rei. Cui Canis, Sat animæ sine virtutibus; sunt mihi scabrosi dentes; fui aliquando fortis. Laudasti quod fui, mihi jam damnas quod sum. Memor esto pristinis; [c] quod hodie possumus,

a *Angustia gravatus*] Editus Romulus *annis jam gravatus*. Nec intelligo, quam angustiam noster auctor velit.

b *Lepus sua virtute*] Hygin. f. 185 *qua virtute sua cursu viros superabat*. Supra f. 30 *artium virtutes*.

c *Quod hodie possumus bona gratia apud te*] Brevitate sua ob-

mus, bona gratia apud te. Si quis bene egit juvenis, ſenex male pati non comtempnatur: & ſuum exhorrere nulli debent. Fuit quondam juvenis, & ſi non vis ſenex, dilige facta ejus opera priora.

obſcurus eſt ſenſus horum verborum, quem clarius exprimit idem Romulus, *Memorare quod fuimus & fecimus; & quod hodie poſſumus & facimus, apud te bonum & gratius erit.* Lege dein *& ſenium exhorrere,* tum, *ſi non vis ſenem.*

FAB. LXIII.
VULPIS ET CICONIA.

Vulpis ad cœnam prior invitavit Ciconiam, & poſuit illi [a] in ſcutellâ ſorbitiunculam; & ſatiari non potuit. Eſuriens & verecunda abiit Ciconia. Poſt paucos dies rogat Ciconia Vulpem, ut veniret ad cœnam. Ciconia in lagenâ poſuit cibos, & prior ſumere cœpit; deinde hortatur Vulpem. Vulpis ſenſit injuriam. Et ait ei Ciconia: Dum bona dediſti, accipe: ſi dedignaris, ignoſce. Nullum deridere alium; & qui verbis ſe deludunt, ita vere fatigantur injuriâ.

FAB.

a In ſcutellâ ſorbitiunculam] Romulus ed. *ſorbitionem in cathino liquidam*, & apud eum deinceps Ciconia *in lagena vitria ſimul lautiores poſuit eſcas.*

a Oſſe

FAB. LXIV.
LUPUS ET GRUS.

Lupus [a] osse devorato fauce inhæso magno dolore victus cœpit singulos promissionibus & præmio deprecari, ut illud extraheretur malum. [b] Tandem persuasum jurejurando Gruem, gulæ credens colli longitudinem [1] obtulit se periculo, & fecit medicamen Lupo. A quo cum pactum flagitaret præmium, Ingratum est, inquit, ori nostro quod caput incolume extuleris; pro hoc & mercedem a nobis insuper postulare videris. Qui pretium meriti ab improbo desiderat, plus peccat: primum quia indignos

1 *optulit*

a Osse devorato fauce inhæso] Ista est Codicis scriptura, librariorum dicam negligentia, an temporis miseria, nondum definio. Propterea mutare non sum ausus. Conducibilius tamen arbitror emendare *inhærenti*. Verum quam turpi labe notatus est MStus hoc loco, tam egregie eam compensat his verbis, *a quo cum pactum flagitaret præmium*, quæ omnino confirmant eruditam Gudii emendationem, quam ab ingenio suo ibi protulit.

b Tandem persuasum jurejurando gruem] Præferebam antea primum casum. Sed hunc quoque absolutum intelligere licebit, ut ad fab. 18 de primo casu notavimus; de quibus egit Gronovius avus ad Senec. libro ibi laudato. Quæ Romulus ed. hoc modo, *Ossa Lupus cum devoraret, unum ex illis in faucibus ei adhæsit transversum, graviter eum affligens. Invitavit Lupus medicum magno præmio, qui ab hoc malo ipsum liberaret, os illud de faucibus extra-*

gnos juvat importune; deinde quia ingratus postulat, quod implere non possit.

extrahendo. Rogabatur Grus, collo longo ut præstaret Lupo medicinas. Id egit ut immitteret caput faucibus Lupi, & os ladens extraheret.

FAB. LXV.

PAUPER ET SERPENS.

In domo cujusdam Pauperis Serpens ad mensam semper venire consueverat, & inde tovebatur micis. Non longo post tempore [a] factus est pauperior; & cœpit irasci Serpenti, quem securc vulneravit. Interposito tempore ille ad egestatem rediit, [b] & intellexit fortunâ Serpentis causâ illius dives fieri antequam ab illo laceraretur. Ut ignosceret

a *Factus est pauperior*] Si bene mentem fabulæ concipio, non jam pauperior, sed ditior factus est Pauper, quia Serpentem micis fovebat. Quem postquam vulneravit, ipse ad egestatem rediit; eaque ratione suam fortunam Serpentis fortunæ alligatam esse cognoscere potuit. Quid Rimicii Romulus hic finxerit nescio, quia ista pagina decerpta erat; tum ultimam hujus auctoris fabulam non memoravit. Vel nimia brevitate, ut ante aliquoties vidimus, usum auctorem statuere oportet, & post illa *& inde fovebatur micis* decurtatum esse sensum, nempe ob beneficium in Serpentem collatum Pauperem ditiorem factum esse, eumque cum pauperior evasisset, cœpisse irasci Serpenti & eum vulneravisse, propter quod facinus ad pristinam egestatem rediit.

b *Et intellexit f. S. c. dives fieri*] Puto auctorem velle, Pauperem tunc demum animadvertisse, se fortunâ Serpentis, prout bene vel male illum exciperet, divitem fieri.

ret peccanti petiit. Et Serpens [1] respondit: Quia tum [2] pœnitebis sceleris tui usque dum cicatrix clauserit, non credas in me gratam fidem. Nam redeo tecum in gratiam, sed si obliviscar securis perfidiam. Quis debet esse suspectus, qui aliquem læsit aliquando; & hoc est maxime nocendum cum amico in gratiam redire.

1 *rp.* 2 *Sic MS.*

ri. Hic primum notare oportet locutionem *intellexit dives fieri*, quæ quartum casum flagitat; deinde *fortunâ serpentis causâ illius*, ubi posteriora non desiderantur, perinde ut Romulus noster fab. 37. Dum autem lego *cæpit irasci*, & *interposito tempore*, & *redeo tecum in gratiam*, quæ ultima apud Phædrum invenies l. 3 f. 2, & l. 5 f. 3 quid causæ est, cur non ipsam fabulam ei adscribamus?

FAB. LXVI.
CALVUS ET MUSCA.

Calvo injuriosa fuit Musca, & nudum caput capillis assiduo morsu tundebat. Ille sibi alapis non parcebat volens iniquam rapere; illa ridens plus faciebat. Et Calvus ait: [a] Mortem quæris improba facilem: si tamen mecum redieris in gratiam, non morieris meâ alapâ. Injuriosis, qui sibi inimicos creant; & qui sibi injuriam facit, aliis plus ridendus est. FAB.

a *Mortem quæris i. facilem*] Sunt hæc paulo turbatiora. Clarius Rom. ed. *Mortem quæris improba; nam si mihi injuriam fecero, facile mecum redeo in gratiam: at si ego decies ictus semel te tetigero, peribis absque gratia.*

F a Ae-

FAB. LXVII.

AQUILA ET MILVUS.

Aquila cum tristis sederet [1] in arborem, ubi Milvus insederat, dixit ad eam Milvus: Cur video faciem tuam tam tristem? At illa, [2] Quo modo ægra non ero, quia quæro parilem conjugii mei, & reperire non possum. Cui Milvus, Me accipe, quia superior [3] te sum, ut quæris. Cui Aquila, Quid ergo venari tu poteris? Milvus, Struthionem unguibus meis captum sæpius devoravi. Illa hæc audiens adquievit, & [a] accepit eum in conjugio maritali. Transactoque tempore quod nuptiis fuerat dedicatum, dixit ei Aquila: Vade, & rape nobis prædam, secundum quod pollicitus es. Et volans in altum exhibuit ei [4] immanissimum Soricem; [5] omnis enim erat putredine [6] madefactus. Cui Aquila, Hæc est promissio tua? Cui Milvus, Ego ut ad tuum potissimum pervenire possem conjugium, si qua mihi impossibilia voluisses extorquere, nullatenus me tibi impleturum potui denegare. Mulieribus, quæ dum sibi ditiores exquirunt, postea ignavis sociantur.

1 *in in arborem* 2 *quo* 3 *tibi* 4 *immanissimum* 5 *omni* 6 *madefacta*

a *Accepit eum in conjugio maritali*] Eadem licentia qua Hyginus f. 45 dicit *in conjugium habent*.

FINIS.

ROMULI FABULÆ ÆSOPIÆ.

ROMULI FABULÆ ÆSOPIÆ.

a *Incipit liber Fabularum Æsopi Atheniensis.*

b Romulus urbis Romæ Imperator Tiberino filio suo salutem mittit.

a Incipit liber Fabularum Æsopi Ath.] Inscriptio Codicis (nam priora a me proficiscuntur) sic concepta erat, prout quoque eam exhibet Rimicius, *sequitur registrum fabularum in primum esopi librum*, & sic deinceps. Verum quum Æsopus quidem auctor fabularum fuerit, a quo desumtum est argumentum, sed tamen non has omnes edidisse probari queat, malui eas Romulo inscribere, qui licet interpretem se tantummodo appellet, totum hunc fasciculum ex Phædro propemodum consarcinavit.

b Romulus urbis Romæ Imperator] Mirum unde hoc ortum sit, quod Rimicius sane non edidit. Ille enim hoc initio utitur, *Romulus tyberino filio, de civitate attica seu antiochia. P. S. dicit. Esopus quidem homo.* Si tamen id verum, intelligendus est Romulus sive Momyllus Augustulus ultimus Occidentis Imperator. Verum quia non est hujus loci pluribus hæc investigare, integra omnia ad Præfationem reservabo. Tantum addam alterum hujus epistolæ exemplum, prout in priori Codice alicubi inventum descripsi, quod cum Rimicii, quem propterea omisi, editione ad verbum fere congruit. *Romulus Thiberino filio. Civitate Attica Æsopus quidam homo Græcus & ingeniosus fabulis suis docet homines, quid observare debeant. Verum ut vitam hominum & mores ostenderet, inducit aves, arbores, bestias & pecora loquentes pro vana* (vel *variâ*) *cuiuslibet fabula; ut noverit* (*noverint*) *homines, fabularum cur sit inventum genus, aperte & breviter narravit; apposuit vera ma-*

malis; composuit vera bonis; scripsit calumnias malorum, argumenta improborum; docet in terra infimos esse humiles, verba blanda potius cavere, & cetera multa & varia his exemplis. Ego Romulus transtuli de Graco sermone in Latinum. Si autem legis, Thiberine fili, & pleno animo advertas, invenies apposita loca, qua tibi moveant risum, & acuant satis ingenium.

ÆSopus quidam Græce sapiens & ingeniosus de civitate Atticâ discipulos suos, quid homines observare debeant, docens hunc librum composuit: verum ut vitam hominum & mores ostenderet, introducit personam omnium bestiarum & pecorum loquentium probandam cujuslibet fabulam: ut [1] norint homines, cur sit inventum genus fabularum, aperte & breviter narravit; apposuit vera falsis; composuit integra bonis; scripsit calumnias malorum, argumenta bonorum docens; & firmos esse humiles, & verba blanda potuis cavenda esse quam aspera docuit, & multas miserias his exemplis scriptas. Id ego Romulus ad tuam, nec non & ad multorum utilitatem, & aliorum sagaci mente investigantium [a] de Græco sermone in Latinum transtuli sermonem. Si autem, Tiberine fili me, frequen-

1 *norant*

a De Graco sermone in Latinum transtuli] Sic quidem operam suam nobis venditat, quum tamen cuicunque hanc epistolam legenti sponte occurrant Phædri verba ex ejus prologis libri 1 & 2 decerpta.

a Num-

quenter lectitaveris, & per omnia sagaci mente animadvertas, invenies apposita loca, quæ multiplicant sensum, & acuunt ingenium.

Fab. I.

GALLINACIUS AD MARGARITAM.

Æsopus hanc primam Fabulam dicit de his, qui despiciunt sapientiam.

In sterquilinio quidam Gallinacius dum quæreret escam, invenit Margaritam, in indigno loco jacentem; quam ut vidit, sic ait: Bona res in stercore jaces. Si aliquis cupidus invenisset te, gaudens te confestim rapuisset, ut ad splendorem pristinum decoris tui redires. Ego te inveni in hoc loco jacentem, petens a te mihi escam: nihil invenio utilitatis in te, quapropter nec tibi ego prosum, nec tu mihi. Hæc Æsopus narrat his, qui non intelligunt bonum, quodcunque habent.

Fab. II.

AGNUS ET LUPUS.

Æsopus de innocenti & improbo talem retulit Fabulam.

 Quo-

Quodam tempore Agnus & Lupus ad unum rivulum e diverso potandi causâ venerunt; sed Lupus superior ad illam partem, unde flumen currebat, bibebat: Agnus ut inferior. Tunc Lupus statim, ut Agnum vidit, sic dixisse fertur: Quare mihi perturbas aquam bibenti, & luteam eam efficis? Cui Agnus ita respondit patienter: Quo modo aquam tibi perturbaverim, quæ a te ad me decurrit? Lupus non erubescens veritati, Maledicis mihi, dixit. Ad hoc Agnus ait: Non [1] maledixi. At contra Lupus inquit: Æqualiter mihi pater tuus ante sex menses bibenti fecit de eodem flumine. Cui Agnus respondit: [a] Numquid tunc natus eram? Tunc Lupus improbâ fauce iratus inquit: Et adhuc audaciter, latro, loqueris? Et statim in eum dirigens cursum, innocenti vitam eripuit. Hæc illos Fabula tangit, qui unquam alios calumpniantur, ut aut vitam, aut pecuniam, aut etiam utramque eripiant.

FAB.

1 *maledixit*

a *Numquid tunc natus eram?*] Rimicii Romulus post illa verba infercit, *At Lupus denuo ait: Agrum mihi pascendo devastasti. Agnus inquit: Cum dentibus caream, quomodo id facere potui? Lupus demum ira concitus ait: Licet tua nequeam solvere argumenta, cœnare tamen opipare intendo. Agnumque cepit, innocentique vitam eripuit, ac manducavit.*

a In-

FAB. III.

MUS ET RANA.

Qui saluti & utilitati aliorum insidiantur, talem pœnam aut hic aut in inferno aliquando non effugient, sicut sequens Fabula pronunciat.

Quodam tempore dum Mus quoddam flumen transire vellet, auxilium simpliciter a Ranâ petivit. Cui Rana callide respondens ait: Libens tibi auxilium feram, si prius grossum & longum huc filum mihi adduxeris. Filo quantocitius adducto, Rana illud circa collum firmiter, nec non & suo proprio pedi [a] insidias sibi tendens ligavit; qui ita colligati ad medium flumen natando devenerunt. Tunc statim Rana profundum fluminis petens, ut miserrimo Muri vitam eriperet, immersit se. Sed Mure miserrimo, ne mergeretur, validius renitente, Milvus desuper advolans Murem unguibus rapuit, nec non & Ranam ligatam sustulit. Sic enim omnibus, qui aliis insidiantur, contigit.

FAB.

[a] *Insidias sibi tendens*] Et tamen Muri insidias struebat. Sed de hac particula monui ad f. 25. & rursus fab. seq.

a Qua

FAB. IV.

CANIS, OVIS, LUPUS ET MILVUS.

Subſequens Fabula atteſtatur, quod ſemper malivoli homines calumpnioſi, innocenti & bonis hominibus inſidiantes, falſos teſtes ſecum pretio adhibent.

Quodam tempore Canis calumpnioſe panem ab Ove, quem ſibi mutuum, ut loquebatur, dederat, repoſcebat. Contendebat autem innocens Ovis, nunquam ſe panem ab illo accepiſſe affirmans. Sed cum coram Judice, quem adierant, de hac re contendebant, Judex ille illos interrogavit, utrum nunquam teſtes haberent. Quum Canis reſpondit ſe duos teſtes habere, Lupum ſcilicet & Milvum, quibus præſentibus panem Ovi dederat. Qui dum advocati fuiſſent, profeſſi ſunt ſe eſſe teſtes illius rei. Ad hæc indiſcretus Judex qualitatem teſtium non diſcernens, Quare, inquit, negaſti quod accepiſti? Tunc miſera Ovis tribus falſis teſtibus convicta, quod non acceperat reddere cogitur; ſed coacta dum unde redderet, non haberet, hiemali frigore ante tempus omnem lanam ſuam dicitur vendidiſſe,

dixisse, [a] quâ venditâ morte periit; cujus carnem tres falsi testes inter se partiti sunt. Sic sæpe calumpniosi insidias & calumpnias innocentibus & miseris undecunque vallantes protendunt.

a *Qua vendita morte periit*] Ista & quæ sequuntur non addidit Romulus ed., & alteram narrationem verbotenus fere retinuit.

FAB. V.

CANIS CARNEM FERENS.

Sæpe amittit propria, quisquis avidius appetit aliena, ut Æsopus in sequenti Fabulâ refert.

Quodam tempore Canis amnem transiens partem crudæ carnis ore ferebat. Cum umbram repercussam in profundâ aquâ vidisset, aperiens os suum, ut illam, quam videbat in profundo, caperet, [a] eam quam ore tenebat, perdidit; nec illam, quam sub aquâ desiderabat, obtinere potuit. Sic quisquis aliena inhianter quærit, sæpe propria perdit.

FAB.

a *Eam quam ore tenebat, perdidit*] Ut innotesceret pretium harum membranarum, devoravi tædium adscribendæ paraphrasis, qua usus est Romulus ed. *& illam quam tenebat, dimisit; eamque statim fluvius rapuit. Et sic constitit, ubi illam perdidit; & quam putabat sub aqua arripere, non habuit; ac illam quam ferebat, similiter perdidit.*

a FA-

FAB. VI.

VACCA, CAPRA, OVIS ET LEO.

Subſequens Fabula refert impotenti nunquam eſſe utile partiri aliquid cum potentiore ſe.

Quodam tempore Vacca, & Capra atque Ovis ſocietatem cum Leone [1] pepigiſſe feruntur. Cumque ſimul in ſaltibus venarentur, Leo Cervum proſtravit. Sed cum [a] factis de ſe quatuor partibus, partiri neceſſe eſſet; & inæquales in portando honore eſſent, fertur Leo ita dixiſſe: Ego prius quaſi fortior omnes partes tollam, quapropter primam mihi partem jure legitimo judicabo: ſecunda mea eſt pars, eo quod ſum fortior vobis: tertiam partem mihi defendo, eo quod plus omnibus cucurri: quartam autem partem qui tetigerit, ſemper ſibi me inimicum eſſe non ambiget; & ſic totam prædam abſtulit. Monet hæc Fabula cunctos impotentes non ſociari potentibus.

FAB.

1 *pepigere fertur*

a *Factis de ſe quatuor partibus*] Quanquam legi poſſet *inter ſe*, non patitur id relativi abuſus, de quo ad Pr. f 25. Sufficit de Cervo partes factas intelligere,

a *Omnis*

FAB. VII.
SOL UXOREM DUCENS.

A naturâ nulla Creatura mutatur excepto Homine & Angelo: sed dictu sæpius de malo pejor nascitur, sicut subsequens Fabula testatur.

Quodam tempore quidam Fures celebrabant nuptias, ad quos convivantes cum quidam Sapiens advenisset, & vicinos in adventu suo gratulari conspiciens, adulari eis cupiens, continuo narrare cœpit inquiens: Audite, fratres, gaudia vestra, quæ vobis annuncio. Cum Sol iam dudum Uxorem ducere vellet, ut ex eâ filios procrearet, [a] omnis visibilis Creatura illi contradixit. Sed cum ille Creaturis non assentiret, immenso clamore, & querelis atque conviтiis Jovem persecutæ sunt. Ad hæc Jupiter commotus est, & ab eis injuriæ causas percunctatur. Tunc una ex eis illi ita respondit: [b] Audivimus Solem Uxorem ducere velle, cui contradiximus longo tempore: Sed cum nostræ voluntati obedire nollet, ad

[a] *Omnis visibilis creatura*] Passio Perpetuæ & Felicitatis, *verba, quæ moverent universam creaturam.*

[b] *Audivimus Solem &c. displicet*] Non placet tam longus sermo ed. Romulo, ideoque illis omissis alteri narrationi adhæret.

ad te talem injuriam retulimus. Cui Jupiter ita ait: Quid vobis de tali matrimonio displicet? Ad hæc illa inquit: Modo Sol omnia æstu suo perturbat, & comburit, ita ut hi qui prope sunt ei, vix [1] sustineant calorem ejus. Ammonet hæc locutio cunctos homines non lætari malivolorum hominum conjunctione.

1 *sustinent*.

FAB. VIII.
LUPUS ET GRUS.

Quicunque malivolo & insipienti benefacit, sibi & multis aliis impedit. Sed & hoc verum intelligas, audi Fabulam subsequentem.

Quodam tempore cum Lupus ossa roderet, unum ex eis in faucibus ejus stetisse fertur. Ubique magno præmio requirebat Medicum, qui illud inde eriperet. Sed cum omnia Animalia tali periculo se credere non auderent, novissime deprecabatur Gruem, ut rostro longo & collo sibi adjutorium ferret. Tandem [a] Grus obediens medicamina illi præstare non piguit, & illud de fau-

a Grus illi præstare non piguit] Ita hæc ætas impersonalibus addidit personas, unde in hac locutione pergit fab. 13 & 17. Tum etiam in Præced. fab. 63 idem observare licet.

b Pe-

faucibus ejus foras eduxit. Cum autem ſanus eſſet, & Grus [b] petitorem ſuum promiſſa præmia reddere rogaret, Lupus ita reſpondiſſe fertur: Ingratus es, ſtultiſſime Grus, qui caput incolume meis faucibus, non laceratum meis dentibus extuliſti. O! injuria meis virtutibus orta ſi eſt. Hæc parabola illis pertinet, qui benefaciunt malis.

[b] *Petitorem ſuum*] Mira deſcriptio ejus, qui remedium & opem a Grue petierat. Sic etiam potius legerem *ad illos pertinet*, quod ſane politior loquendi ratio poſtulat.

FAB. IX.

CANICULA PRÆGNANS ET ALTERA.

Malivoli & inſipientes per blanda verba ſua bonis & ſimplicibus graves faciunt injurias, ut ſubjecta de inſipientibus monſtrat Fabula.

[a] Quodam tempore prægnans Canicula deprecabatur aliam Caniculam, quæ ullum catulum non habebat, ut illius in cubile ſuos catulos, quos in utero habebat, exponere poſſet; at illa roganti facile conceſſit in-

[a] *Quodam tempore*] Longior hic eſt noſter. Rimicii Romulo, qui iiſdem fere verbis quibus 54 Præced. fabularum conſcripta eſt, hanc narrationem contexebat, ſed ita ut duarum Canum perſonas ſervet.

 b Sed

ingressum. Cum vero exposuisset illa partum suum, cœpit altera, cujus cubile erat, abjicere eam. At illa deprecabatur inducias temporis, quo usque sui catuli vigerent; & illa tantum temporis spatium deprecanti indulsit. Sed cum tertio compelleret eam exire, illa ita respondisse fertur: Quid deturbas me injuriose? Nam si mihi occurreris & turbæ catulorum meorum, si non fortior nobis fueris, non solum cubile tuum tibi non reddemus, [b] sed etiam si quæres, morte morieris. Aliquando boni sic amittunt sua, qui credunt aliis per blanda verba.

b *Sed etiam si quæres*) Cubile tuum vi recipere. An vero potius legendum, *si quereris?*

FAB. X.

MUS URBANUS ET AGRARIUS.

Per hanc subsequentem Fabulam facile inculcatur, multo melius esse [a] securum in paupertate vivere, quam divitias cum cotidiano pavere multas possidere.

Jam

a *Securum in paupertate vivere*] Sic explicat Romulus, quod Præcedentis fabulæ 13 auctor longe elegantius proposuerat, *melius est in paupertatula sua secum vivere*; idque patet ex Cicerone de Senectute c. 14, ubi proverbii instar usupari solitum declarat, *animum tanquam emeritis stipendiis libidinis, cupiditatum omnium, secum esse, secumque (ut dicitur) vivere.*

b Tre-

Jam dudum Mus urbanus, dum iter agebat, magnâ perlongati itineris lassitudine fatigatus a quodam Mure agrario in qualicunque despecto & vili castello hospitio benigne receptus est; cui nuces & glandes & hordeacia grana cum purâ aquâ exhibuit. Deinde dum Mus urbanus illic refectione factâ mane [1] domum rediret, Murem agrarium secum epulas [2] conviva venire rogabat; qui roganti obtemperans venit cum eo. Qui dum simul [b] trepidi care care sibi civitatis portas [3] intrant, honestam domum illius urbanici Muris, in quâ erat cellarium omnibus bonis refertum, ingrediuntur. Cum hæc Mus Muri ostenderet, sic ait: Fruere mecum, amice, his bonis, quæ nobis cotidie supersunt. Cumque multis cibariis & diversis potuum generibus fruerentur, venit tunc Cellarius festinus, & [4] ostium cellarii subito inpandit. Tum Mures [5] strepitu perterriti fugam per diversa petiere. Sed Mus urbanus statim notis sibi abdidit se cavernis. At ille miser ignarus agrarius Mus pene morti proximus, fugiens per parietes do-

1 *domi* 2 *convia* 3 *intravit* 4 *hostium* 5 *strepito*

b Trepidi care care sibi) Ita Mstus, quod corruptum puto pro *caventes sibi*. Romulus ed. tantum habet: *Factum que est, dum simul transirent, ut ingrederentur domum honestam, in quoddam cellarium omnibus bonis refertum.*

domuum perniciter fugâ elapsus est. [c] Actusque Cellarius subinde exiit, domumque [6] seratam, ut ante, relinquit. Mures undecumque colligentes se ad suetas epulas rediere. Sed cum Mus civilis Murem agrarium nihil manducantem, nimium timore perterritum cerneret, tunc ait ad illum: Quid te tam terribiliter fugiendo, amice, turbavit? fruamur istis bonis, nihil [7] verearis, nec timeas. Cui ille Agrarius e contrario, Tu fruere, inquit, quia nihil times, nec pavescis, nec turbatio cotidiana terret te. [d] Ego sum securus, frugi vili in agro, ad quæcunque Deus dedit, lætus. Nullus me terret timor; nulla perturbatio cotidiana: nulla tibi societas est, quia semper sollicitus vivis, attenso muscipulo tenearis, aut captus a Cato ne comedereris. Hæc Fabula prohibet illos inopes, qui se melioribus adjungunt, ut fruantur aliquibus bonis, quibus alia fortuna non dedit; diligant frui tali vitâ tantummodo, ut securi sint in suis castellis.

FAB.

6 *serratam* 7 *vereris.*

c *Actusque cellarius*) Intelligit Cellarium peracto negotio exiisse, eadem fere syntaxi, quæ occurrit Præced. fab. 20; quod ed. Romulus, qui in tota narratione non adeo prolixus est, simpliciter exprimit, *dum vero cellarius exiret ostio clauso.*

d *Ego sum securus frugi vili in agro*) Legendum videtur *frui.* Sed quia Romulus editus, *ego vivo frugi in agro ad omnia lætus*, tantum distinctionem interpono.

a De-

FAB. XI.
AQUILA ET VULPES.

Monet subsequens Fabula potentes, ne multum [a1] despiciant impotentiores se, quia frequenter evenit, ut impotentes possint nocere potentioribus.

Jam dudum Aquila Vulpinos catulos rapuisse fertur absente Vulpeculâ; quos in nidum reponens pullis suis ad escam dare disponebat; quam Vulpecula subsequens deprecabatur catulos suos reddi sibi; [b] cujus preces contempnens quasi inferiorem, dare catulos noluit. Tunc demum [c] Vulpes plena dolore, in se conversa ignem a foco rapit, & collectâ stipulâ atque gramine arborem, in quâ nidum suum Aquila fabricaverat,

1 *despiciunt*

a Despiciant impotentiores se] Talis fuit usus hujus temporis, ut quum istud adjectivum plerumque adhibeatur respectu animi, vel ut propter nimiam potestatem aliquis se ipsum refrænare nequeat, nunc significet defectum in comparatione alterius. Hinc tam crebro occurrit in hoc libro ut f. 16. 25. 26. 42.

b Cujus preces contempnens quasi inferiorem] Usitatior syntaxis in ultima voce secundum casum requirit. Sed voluit hoc loco Romulus intellectu participium bis repeti, & cum antecedenti & sequenti conjungi, in quo etiam suos auctores habuit. Romulus ed. simpliciter, *Aquila contempsit Vulpem quasi inferiorem.*

c Vulpes plena dolore] Romulus ed. *plena dolo*, quod nunc minus convenit; & utitur in hac fabula breviori narratione. *Vulpes plena dolo* ab

rat, & in quâ pulli illius erant, ingentibus flammis circumdedit. Cumque fumus & flamma perstreperent, & ad summitatem arboris prope pertingerent, Aquila nimio dolore compulsa, ac pullorum curâ, ne perirent, Vulpinos catulos incolumes matri supplex reddidit, obsecrans adductum restingueret incendium. Hæc Fabula ammonet cunctos, ne quis inferiori insultet, ne taliter illi ab eo aliquando eveniat.

ab ara ignem rapuit, & arborum circumdedit collecta stipula. Cumque fumus &c.

FAB. XII.

AQUILA, CORNIX ET TESTUDO.

Docet subsequens Fabula, quod multum muniti & ex omni parte tuti viri malis consiliatoribus subverti possunt.

Jam dudum rapuit Aquila pinguem Testudinem de mari, [1] quam cum in summum sustulisset, Testudinem intus in [2] conclusâ conchâ latitantem eripere foras cupiens nihil contra eam valuit, quia frangere concham non potuit. Tunc Cornix contra advolans, Aquilam adulaturus, verbis ultra modum laudans: O Aquila, optimam, inquit, adferes prædam;

1 *qui*. 2 *conclausa*.

dam; nam non ſine cauſâ portas pondus. Cui Aquila reſpondit dicens: Non mihi nec tibi pondus, quod porto, utile eſt. Cui Cornix, Ut quid? inquit. Et ad hæc Aquila reſpondit: Quia concham frangere non valeo; Teſtudinem ferens extrahere non poſſum. Et ad hæc Cornix inquit: Si partem mihi dares, demonſtrarem tibi conſilium utile, quo frangere concham poſſes. Cui Aquila partem promiſit. At Cornix ſubſequenter tale conſilium dedit illi inquiens: Quantum maxime potueris perniciter volando in ſummum aera cum ingenti prædâ, quam portas, ſubleva te ipſum, & ubi petroſiſſimam terram ſubter te eſſe proſpexeris, de ſummo aere dimitte Teſtudinem, ut conchâ fractâ [3] ſortiamur eſcam. Et ſic Aquila feciſſe fertur; & concha, quam natura muniverat; [a] iniquo conſilio periit.

3 *foramur eſca*

FAB.

[a] *Iniquo conſilio periit*] Ut cognoſcas quantum ſibi fabulatores in compilando hoc opere indulſerint, totam Romuli ed. fabulam adjicere neceſſarium judicavi; neque enim ex decerptis fruſtis id tam clare liquet. *Aquila Teſtudinem rapuit, & in alto cælo cum ea volavit. Teſtudo intra ſe collecta nullo pacto frangi potuit. Contra volans Cornix, verbis Aquilam laudans, Optimam, inquit, fers prædam; ſed niſi ingenio utaris, fruſtra portabis onus, nec utilis erit tibi hæc præda. Tunc Aquila illi partem prædæ promiſit, ut illi conſuleret. At Cornix tale dedit conſilium, & ait: Uſque ad aſtra volato, & ab alto ſupra petram præda tua cadat, ut teſta frangatur Teſtudinis. Approbato conſilio Aquila ad ſublimum volitans Teſtudinem in ſaxa demiſit; quam Cornix ſub-* *tus*

tus exspectans escam sibi rapuit, & sic Aquilam esurientem defraudavit. Hoc iniquo consilio Cornicis periit Testudo, quam natura forti concha munierat, atque blandis Cornicis verbis Aquila decepta fuit.

FAB. XIII.

CORVUS ET VULPES.

Testatur subsequens Fabula, quod multi in fine [1] pœnitent, qui falsis adulationibus facile assentiunt.

[a] Quodam tempore jam dudum Corvus caseum de fenestrâ rapuisse fertur; & cum eo conscendit altam arborem. Cumque illum commedere disponeret Corvus, subdola Vulpes ad radices arboris hoc videns stetit, cogitatque in semet ipsâ, quomodo fraudulenter caseum a Corvo eriperet; ita dixisse fertur: O Corve, quis similis tibi, ? & pennarum tuarum quam magnus est nitor? & si tam præclaram vocem haberes, nulla avis præcelleret te. At ille dum placere Vulpi vellet, & vocem claram se habere jactantem demonstrare cuperet, aperto rostro clamare altius parans, oblitus sui casei, caseum perdidit, quem caden-

1 *pœnitens*

a Quodam tempore jam dudum] Nihil hic præcipuum habet Romulus ed., nisi quod plane ab nostro deflectit, & verbotenus fere fab. Præced. 15 imitatur; quod non negligi oportere existimavi.

a Sed

cadentem desuper celeriter Vulpes dolosa avidis dentibus rapuit. Tunc Corvus ingemiscens, stupore nimio deceptus, falsis adulationibus credidisse pœnitet. Sed postquam hoc perdidit, quicquid amat, quid pœnitentia illi proficit.?

FAB. XIV.

LEO SENEX, APER ET TAURUS.

Quisquis pristinas vires suas amisit, etiam pristinam ferocitatem animi sui amittit, quia pristinum honorem ab aliis habere non poterit, quisquis potestatem suam priorem perdidit, ut subsequens Fabula narrat.

Ferunt Fabulæ jam dudum quendam annosum Leonem viribus defectum, nimio dolore gravatum longumque tempus in illâ infirmitate expendisse. Ad hujus visitationem omnes Feræ fraudulenter vehementer cucurrerunt. [a] Sed cum illum extremum gavisæ sunt. Tunc Aper iratus & spumans ac-

[a] *Sed cum illum extremum gavisæ sunt*] Ita sine hiatu Mstus, qui manifestus est in sensu. Quapropter supple ex Rimicii Romulo, *cum illum extremum spiritum trahere viderent, gavisæ sunt*. Nam ille breviter sic incipit: *Annis decrepitus & viribus Leo cum gravatus jaceret, spiritum extremum trahens*. Reliqua ad Præced. fab. 16 apposui, unde patet nostrum multo verbosiorem esse, licet Asini non meminerit.

a Ne

accedens ad eum, dum nullas vires illum habere cerneret, dentibus ſuis graviter ventrem ejus vulneravit. Taurus quoque cornibus ſuis hoſtilia Leonis confregit. Aliæ quoque Beſtiæ, in quantum vires habebant, vindictas quaſdam exercere in eum. Inter hæc Leo ſuſpirans cum gemitu ſupplicia, ſic dixiſſe fertur: Quamdiu habuerim vires, honor meus & timor ubique ſuper omnia Animalia dilatatus eſt, ut omnes viſo me & audito me ſparſim per terras trementes fugerent, & etiam ipſa mea opinio plures terrebat; nec tam graviter dolorem ſuſtinuiſſem, ſi illæ Beſtiæ mihi tantummodo malefacerent, quibus antea malefeci: Sed & illæ, quibus auxiliator fui, mihi malignantur; & quia ſum ſine viribus priſtinis, priſtinus honor & timor a nullo redditur. Monet hæc Fabula omnes potentes debere manſuetos fieri in poteſtatibus ſuis.

FAB. XV.

ASINUS DOMINO BLANDIENS.

Prohibet ſubſequens Fabula, [a] ne quis in-

[a] *Ne quis indignus iniuriis*] Romulus ed. *ne quis indignus ſe ingerat, ut melius officium faciat*, quod accuratius cum Præced. fab. 17 convenit, quam ille Romulus fere in omni-

indignus injuriis ministerio potentioris se ingerat se; & quia non sibi injunctum est illud officium.

Ferunt Fabulæ Asinum jam dudum ita dixisse, dum videt Catulum Domino suo cotidie blandiri, & de mensâ ejus cotidie saturari, & familiam suam hoc immundissimum animal tanto amore diligere: Quanto amore me diligerent, si æqualiter, ut Catulus iste, adularer illos, & tale obsequium illis præberem? Multo enim melior sum isto Cane, quia multis rebus utilior sum: mundioribus escis, & nitidioribus potibus alor, & in omni causâ honorabilior sum illo. Cumquè hoc Asinus meditaretur, videns Dominum suum introire, occurrit obviam Domino suo, quanto citius potuit, antecedere Canem cupiens; frendit horribili voce, & superstans posterioribus suis priores pedes suos super humeros Domini sui imposuit, ac tota vestimenta illius sordidis pedibus suis commaculans gravi pondere suo fatigavit eum, & linguâ suâ lingens

omnibus sequitur. Et notavi jam ibi ejusdem Romuli insolitam locutionem *catella blandiri a domino*, illam maxime ob causam, quoniam A. Gellius in citato libro illius verbi rationem non habuerat; tamen id præbet in activa terminatione Glossarium Κολακεύω *Blandio*, *Adulo*, *Adsector*. & Onomasticum L. Gr. *Blândio*, κολακεύομαι.

gens eum. Quâ contumeliâ Dominus compulsus vociferari, omnem familiam suam concitat in furorem adversus Asinum. Tunc omnes fustes & lapides arripiunt, Asinum hinc & inde feriunt, quem demum debilem totis membris confractis costisque, a Domino abjicientes ad præsepia lassum & semivivum [1] abegere.

1 *abigere.*

FAB. XVI.

LEO ET MUS.

Probat subsequens Fabula, quod omnis innocens quamvis inscienter, aliquando alteri aut a Deo, [a] aut ab Homine ulciscetur.

Quodam tempore dormiente Leone in silvâ jam dudum Mus ex agrestibus Muribus superfluo ludo luxuriantibus, [b] non voluntate incidit super Leonem. Quo expergefactus, & suâ injuriâ in furorem conversus celeri cursu miserum Murem comprehendit. Qui comprehensus suppliciter veniam sibi dari de-

a *Aut ab homine ulciscetur*] Sic deponenti adscribitur passio, quod in prioribus jam monui.

b *Non voluntate incidit*] Romulus editus *alter casu super Leonem transiliit.* Cl. Gudius hinc metrum instaurat, *Super cubantem casu quodam transiit.* Et notat habere [Mstum *non voluntate*, quod versus respuit.] Id verum, si utique verbo *transiit* adhærere debeamus. Sed ex horum verborum

deprecabatur, testificans non voluntate fecisse, atque omnem peccati sui seriem profitetur: quod solus inter ceteros peccaverat ceteris inaniter ludentibus. Cum autem Leo in semet ipso cogitaret, quid de Mure faceret, aliquamdiu: si mortificaret illum, magnam sibi injuriam inferret, & nullam laudis gloriam haberet. Tunc demum ignovit Muri culpam, & dimisit illum, deinde exiit ad alium locum. [c] Post paucos dies idem Leo in quendam puteum inscitus concidit, qui confestim agnoscens captum se esse maximâ voce [1] rugire cœpit. Ad hanc vocem confestim Mus ille, de quo paulo superius diximus, ut agnovit, occurrit volens scire, quid mali acciderat Leoni. At ubi Leo omnem sui casus causam Muri sibi cognito indicasset, protinus inquit illi: Nihil est jam quod timeas ex hoc casu, quia ego parem tibi gratiam

1 *rugere*

rum comparatione videor mihi colligere Phædrum mentem suam exposuisse his verbis *Leoncm supra non voluntate insilit*. Sane sic loquitur lib. 1. fab. 2.

c *Post pancos dies idem Leo*] Romulus ed. *Post pancos autem dies Leo in rhete cadit, & capitur*. Itaque tres hi Codices non agnoscunt illud *vagatur noctu*, quod crediderim affinxisse Gudium, dum versum implere studet, quia in notis adscriptum erat *pervagando nemora*, quæ Msti scriptura fuisse videtur. Nec enim opus est, ut statuamus Leonem noctu in foveam decidisse, quia solebant istæ

fos-

tiam in te, quam mihi paulo ante reddidisti, fideliter reddam, non immemor beneficii tui. His dictis omnes artes & ligaturas, quæ ad adjutorium pertinerent, lustrare cœpit. [d] Tunc demum cognovit terram fodiendam esse, & hunc replere lacum; ad hunc laborem cohortes sociorum suorum advocavit. Tunc Leo & Mures communem subiere laborem dentibus & unguibus [2] ruentes terram, & laxantes ingenia artis illius, quam contributi illius provinciæ hinc & inde circa lacum, ad capiendas bestias construxerant; & ita cognitus Mus Leonem captum, liberatum de illâ angustiâ silvis restituit. Monet hæc Fabula, ne quis innocentem, quamvis impotentem, lædat.

2 *rudentes*

fossæ vel plane contegi, vel saltem insidióso ponte, ut etiam clara luce deciperentur. Quam venandi rationem explicuit Gronovius avus ad Phædrum l. 1 f. 17.

d Tunc demum cognovit terram fodiendam] Non ita Romulus ed., sed fere perinde ut nobis tradidit Gudius, *Cognovit loca* (forte *lora*) *rodenda. Sumpsit laborem oris sui, & dentibus nervos cæpit rodere, & laxare artis illius ingenia.*

FAB. XVII.

AVES ET HIRUNDO.

Per subsequentem Fabulam intelligitur, quod quicunque bonum non audit sapientis consilium, adveniet ei, quando de hoc pœni-

pœniteat, & nihil ei proficiet. [a] Qualiter terram arari ab Hominibus, & spargi semen lini omnes Aves viderent, & pro nihilo hoc haberent, & periculum quod eis de hoc opere imminebat, non providerent.

Ferunt Fabulæ Hirundinem hoc intellexisse, & ceteris Avibus ita retulisse: Numquid non intelligitis periculum nostrum postea pervenire, si illa lini seges ad maturitatem pervenerit? Quapropter nunc meum salubre accipite [1] consilium: veniamus omnes & eruamus nocivum germen lini, ne ad interitum nostrum perveniat; si enim creverit, retia ad capturam nostram inde efficiant: at vero si erutum fuerit, [2] securæ vivemus. Quibus omnibus deridentibus, & despicientibus Hirundinis consilium, Hirundo se solam ad Homines contulit, & amicitiam cum eis pepigit eâ conditione, ut secura posset & inter Homines versari, & nidum, ubi vellet, in tignis construere; & ita inuenit quod petivit. Ceteræ vero, quæ salubre consilium spreverunt, frequenter in retibus irretiatæ sunt.

FAB.

1 *concilium* 2. *securi*

a *Qualiter terram arari*] Deest particula *cum*, quam non negligit Romulus ed., qui sic incipit; *Terram arari, & lini semen spergi cum omnes Aves viderent.* Nam in reliquis Præced. fab. 20 imitatur.

FAB. XVIII.

RANÆ REGEM PETENTES.

Omne genus fabularum sine dubio directo tramite ad homines refertur; nemo enim potest esse bonus malus, [1] non nisi homo; de Deo enim & Angelis non est nobis sermocinatio. Bonam ergo fabulam bono homini, & malam malo homini æquiparari petam. Quis enim libet homo bonum faciet, nisi pro spe remunerationis & laudis? & quis a malo se abstineat, nisi timore vindictæ & opprobrii? aut quomodo aliquis cognoscere bonum & malum possit, nisi per anteriora exempla? Sufficiat ergo nobis comprehendere vitam & mores hominum. Quapropter ego congregavi quasdam fabulas ad comprehendendum humanum morem convenientes, quas Æsopi ex dictis transtuli in Latinum sermonem. Dico autem bonorum atque innocentium gesta, ut homines exempla inde capiant. [a] Secure enim vivit, qui non habet, quod timeat. Sed Æso-

1 *ne*

a *Secure enim vivit*] Quæ huc usque tanto ambitu exposuit noster, ea Romulus ed. breviter sic designat: *Omne genus fabularum probatur contra homines. Quis enim malus, nisi homo? etiam bonus, nisi homo? vitam hominum & mores satis est comprehendere. Et tamen ausus sum breviter similes*

Æſopus has fabulas primum ad Athenienſes retulit, qui jam dudum optimi & ſapientiſſimi; atque ab omni dominali imperio liberi fuerunt; primis mundi temporibus, quamdiu ſibi invicem ſimiliter abſque aliquâ invidiâ, & abſque dominandi coactivo imperio cum bonâ voluntate obtemperaverunt. Sed poſtea ſubſequenti tempore cum quidam malivoli Athenienſes aliqua injuſta contra cives ſuos malivolâ voluntate & pravo conſilio decepti perpetrarent: omnes alii innocentes, & qui talia mala patiebantur, ab Jove rectorem ſibi dari petierunt, qui malivolos aut compeſceret, aut puniret; quo adepto multi ab eo terrebantur, multi prædam patiebantur, & plures puniebantur. Qui cum talibus tribulationibus difficulter viverent, quod ante deſideraverunt, ſi poſſent, iterum deperdere cupiebant. Tunc Æſopus tales Fabulas de talibus ſubſequentibus intulit, cum videret illos flentes, pœnitentiam habentes de priori conſilio, non quod illorum Dominus nimium crudelis eſſet ultra Dominorum morem; ſed quia Athenienſes erant inſueti ſervire legi & volun-

les ſcribere fabulas. Dicam enim bonorum ſive nocentum geſta, quod ille ſecurus vivat, qui non habet, quem timeat.

luntati Domini, & ideo videbantur [a] sibimet intolerabile pondus portare.

Ranæ jam dudum in quadam magnâ palude morantes, & in protectione liberorum, magno clamore Jovem deprecatæ sunt, ut sibi Rectorem daret, qui huc illucque aberrantes Ranunculas castigando colligeret. Cumque hoc iterum deprecari cœperunt, cum pro primâ postulatione non impetraverant; [b] quibus innocentibus, quamvis prava petentibus, pius Jupiter volens eas alludere [c] valde magnum Truncum annosæ cujusdam arboris illis in stagnum pro Rectore misit; cujus sonitum omnes Ranæ fugerunt paventes. De quibus una Rana omnibus audacior caput suum super stagnum elevavit volens conspicere Regem cunctis transmissum. Quæ ut videt Lignum transmissum [d] putans Regem esse, omnes aliæ Ra-

a *tibimet*

b *Quibus innocentibus, quamvis pr. pet.*] Ut planus sit sensus, hæc verba parenthesi inclusa a reliquis separari debent. Alioquin ab relativo tollere suam vim, (ut rursus intra *quem per malivolentiam*, & ad Præced. fab. 6 notavi) & per pleonasmum ab auctore additum existimare oportet.

c *Valde magnum truncum annosæ c. q.*] Singularis est in tota hac fabula ed. Romulus; quod adscribere non necesse putavi. Tamen mecum ridere oportet, quod hic ait: *Jupiter pius innocentibus misit in stagnum lignum magnum tigillum: quo sono paventes fugierunt. Postea vero una protulit caput super stagnum, volens cunctari regem*.

d *Putans regem esse, omnes aliæ Ranæ*] Non constat narra-

Ránæ ſtatimque ſimul adunatæ, accedunt ſalutare ſuum Regem, tamen trepidæ. Sed poſtquam intellexerunt Lignum inſenſatum, ᵉ & mihi boni malive poſſet facere, aſcendentes ſupra id conculcaverunt pedibus ſuis deſpicientes & pro nihilo reputantes. At iterum deprecari Jovem clamore magno pro eâdem re cœperunt. Tunc Jupiter transmiſit illis immanem Colubrum, qui illas regeret; qui ſtatim ut advenit, ſingulas necare cœpit. Tunc voces cum lacrimis omnes ad ſidera tollunt dicentes: Succurre, Jupiter, quia omnes morimur. Quibus contra Jupiter ita reſpondiſſe fertur: Cum primitus improbæ Regem poſcebatis, nolui concedere; ſed iterum clamoribus veſtris compulſus Lignum mite transmiſi Dominum vobis, quod quia mite erat, ſpreviſtis eum. Poſtquam alium me dare vobis injurioſæ rogatis, quem per malivolentiam veſtram dedi vobis: Quia ergo miti obedire noluiſtis, immitem, velitis, nolitis, ſuſtinete. Hæc Parobola tangit illos, qui clementi Domino no-

ratio, niſi tacite ſupponas hoc viſo alias Ranas idem auſas eſſe, vel ab illa vocatas eſſe, quod expreſſit Romulus ed. & Præcedens fabula.

e *Et nihil boni malive poſſet facere*] Legendum & *quod nihil b.*; vel, ſi mavis, *poſſe facere.* Romulus ed. *Ergo ut nullus in ligno erat ſpiritus ſentientes, aſcendunt ſuper illud; & intelligentes eſſe lignum, pedibus conculcaverunt.*

a Ma-

nolunt obedire, quapropter praviorem, velint, nolint, necesse est sustinere.

FAB. XIX.
COLUMBÆ ET MILVUS.

Probat subsequens Fabula, quod [a] malum sequitur simplicibus hominibus, qui se [1] tutandos malivolis & fallacibus credunt.

Ferunt Fabulæ jam dudum simplices Columbas Milvum elegisse sibi rectorem ac defensorem, quem antea [2] asperum & infestum frequenter habuerant, putantes tutiores esse sub illo, si illum Dominum sibi acciperent, multo magis quam ante inimicus eis fuerat. Quarum cum imperium ille libenter accepisset, & devoraret singulas, simulans legis eis ponere & corripere illas; tunc una ex illis ita respondisse fertur: Melius nobis fuerat inoportunam Milvi inimicitiam pati, quam suâ potestate ita cotidie necari. Sed juste & digne hæc patimur, quia nos stulte tali commisimus Seniori.

FAB.

1 *tudandos* 2 *aspersum*

[a] *Malum sequitur simplicibus hominibus*] Quum ita habeat Mstus, & eandem constructionem verbi *credere* deprehenderim in Præced. fab. 54, non licuit amplius dubitare, an hic librarii foret error; & idcirco nolui sollicitare.

a Fer

FAB. XX.
CANIS FIDELIS.

Audiamus Fabulam ſubſequentem de ſeductoribus, & de his qui conſentiunt facile ſeductoribus; & qui perdunt multa ſua propria bona pro aliquo parvo bono a ſeductore accepto.

Ferunt Fabulæ, quod quidam a Fur ad alicujus divitis manſionem furandi cauſâ noctu venit, & panem, quem ſecum habebat, Cani manſionem divitis cuſtodienti porrigebat. Cui Canis dixiſſe fertur: Sic gratiſne mihi panem porrigis? an, ut mihi videtur, ut prodam Dominum meum, & domum, & familiam ac pecuniam illius tibi? neſcio enim, unde vicem tui panis aliter tibi reddere poſſum. Sed ſi hoc fecero nunc tibi, neſcio, nunquid panem poſtea dederis, aut miſericors mihi fueris, cum fame victus moriar. Puto enim

a *Fur ad alicujus divitis manſionem*) Propter nimiam differentiam non potùi ed. Romuli verba omittere. Ea ſunt: *Nocturnus quidam Fur cum panem mitteret Cani, Canis dixiſſe fertur: Paniſne pro gratia datur?. an ideo ut me lædas? aut unde victurus ſum, una cum Domino domus & tota familia noſtra tu auferas? Si modo panem porrigis mihi, nunquid & poſtea daturus es, aut miſericors eris mihi, cum fame victus fuero? Nolo fauces meas panis claudat, & lingua ſileat, & mihi gratiam tollat; ſed ipſe contra latrabo, ac Dominum & familiam ſuſcitabo, teque furem illis adeſſe nunciabo. Non præſentem vitam volo, ſed futuram contemplor. Aut ambula, aut nuncio.*

a Da

enim deinde bene mihi nunquam crederet aliquis, si prodidero tibi meum Seniorem, qui me huc usque nutrivit. Quaproter nolo, ut fauces meas tuo pane[1] claudas: nolo cibum nocivum sumere, ut mea lingua infidelis fiat Seniori meo.

1 *claudes*

FAB. XXI.
LUPUS ET SCROFA PARTURIENS.

Docet subsequens Fabula quod nullus debet inimicos suos credere, quamvis blanda verba loquuti fuerint.

Ferunt Fabulæ Lupum jam dudum venisse ad Scrofam parturientem, & in magno partus dolore gementem, & ad eam dixisse fertur: Expone, soror, hæc horâ fœtus tuos; ego enim obstetricis officiis fungar; ideo enim veni, ut solatium tibi ferrem. Cui Scrofa ita respondisse dicitur: Ministerium tuum in hac re repudio;, non enim dignum est, ut masculus in tali causâ cuidam feminæ obstetricis more fungatur. Obsecro, frater, [a] da mihi honorem, ita ut recedas a me, tunc enim satius fœtus exponam. Ha-

[a] *Da mihi honorem*] Perpetua in Passione sua, *Quatuor angeli fuerunt clariores cæteris, qui ubi viderunt nos, honorem* no-

Habuisti matrem, ut opinor, & noluit tali se credere obstetrici. Qui statim precibus ejus ad horam secessit, & illa fœtus suos profudit; nam si Lupo crederet, infeliciter pareret.

nobis dederunt, & dixerunt. Cæterum servavit hanc quoque fabulam Rimicii Romulus, qui hic succinctiori stylo utitur; & quoniam inter præcedentes non apparuit, illam publico conspectui non invidebo. *Premente partu cum jaceret Scrofa dolore gemens, venit ad eam Lupus, & ait: Expone, soror, hac hora secure fœtum; fungar obstetricis officio, stans pro solatio tibi. Parvula improbum ut vidit Lupum, repudiavit ejus officium. Ex quo, inquit, secura fœtum, si tu recesseris peperero. Obsecro da mihi honorem: fuit etiam tibi mater. Ille autem ut recessit, statim Scrofa profudit sarcinam, qua si malo credidisset, infelicissima periisset.*

FAB. XXII.

HOMO PARTURIENS.

Profert subsequens Fabula, quod frequenter evenit terribilis fama alicujus rei, de quo terrore nihil mali eveniet, quia ad nihilum redigetur.

Ferunt Fabulæ, quod jam dudum, quidam [a] Homo virilis sexus, nescio quo casu, prægnans intumentem uterum femineo more habuerit, qui prope ad tempus parturiendi non sine causâ inaudita verba & flebiles

[a] *Homo virilis sexus*]. Ita fingit noster Romulus sine dubio; ut ex tam inopinatæ & absurdæ rei exspectatione, tanto major metus exoriretur, quam alter Rimicii

cii

biles [a] dabat gemitus; quam indignam famam omnes qui videre & audiere, ineffabiliter perterriti sunt. Mirum & verecundia omnes incutiebat; & aliquod subsequens periculum populis [b] vaticinare videbatur. Mox ille qui parturiebat, horribiles gemitus agens peperit Murem. Hujus rei fama per omnes circumpositas nationes volat; & quas timor prius invaserat, resumpserunt post fiduciam recuperandæ salutis, & quod periculum cunctis putabant advenire, nullum malum alicui advenit.

1 dat

eii Phædri commentum sequatur hoc modo: *Quidam Mons dabat gemitus magnos & sonos parturientis. Omnis natio, ut audivit, statim perturbata est; pavent omnia simul, ut nullus esset memor sui, tanto et tam valido sono Mons ille timorem incussit; obliti omnes sensuum. Gemitibus uero maximis a Monte factis, tandem peperit Murem. Hujus rei fama volat.* &c.

b Vaticinare videbatur] Sic Ms. de qua depravata licentia egi ad Præced. fab. 17 & 60.

FAB. XXIII.

AGNUS ET CANIS.

Profert subsequens Fabula, quod filii frequenter non minus diligunt nutritores suos, quam parentes.

Ferunt Fabulæ jam dudum quendam Agnum alicujus Ovis filium inter Capros a nativitate nutritum fuisse; cui Agno Canis ita dixisse

xisse fertur: Non est tua mater hîc, quia Oves distant longe a te. Cui Agnus ita respondit: Non illam quæro, quæ me concepit in utero, aut portavit quatuor mensibus, & in lucem parturit: sed hæc est mater mea, [1] quæ nunc me benigne nutrit, & dat mihi ubera sua, & filium suum proprium per me fraudat, ut sufficientia non desit mihi. At Canis e contrario dixit: Tamen illa est vera tua mater, quæ te peperit. Cui Agnus ait: Est ut dicis; sed illa modum naturæ implevit in utero, inscia sibi quid in utero habebat, masculum an feminam. Nam quid pecoribus proficit filios habere, [a] nisi ut laniena sint? Nam & homines putant inde lucrum habere, & frequen-

1 *nunc me benigne me*

a Nisi ut laniena sint] Ms. *laniam sint*, quod sic emendavi. Cæterum quia Rimicii Romulus Phædri orationi magis adhæret, impetrare a me non potui, ut hac te fabula fraudarem, quapropter totam adscribo. *Inter Capellas Agno vaganti Lupus dixisse fertur: Non est hæc mater tua, sed est inter Oves ecce ibi; quas segregatas longius ostendit Agno. Non illam quæro, ait Agnus, quæ me concepit, aut novem mensibus portavit in utero, & parturiens in lucem effudit; sed Capram hanc dico meam matrem, quæ me nutrit & ubera sua mihi porrigit, proprios autem natos fraudat, ut mihi lac non desit. Econtra Lupus ait Agno: Tamen est tibi verior mater tua quæ te peperit. At Agnus, Ita est, ut dicis. Sed illa (ut licitum est a natura concedit) me securiorem aliis voluit committere. Nam pecoribus filius non prodest, sed tantum lanio; & qui lac omne quotidie emulget, & vellera tergo eripit, huic cedit in lucrum. Hæc vero inter Capras vita tutior videtur, quare hîc, melius hic morabor. Melius enim*

quenter dubia eorum spes est, quia ullum adjutorium de filiis multi parentes non habent.

enim est asperiore paululum lavere: quam suaviore foveri, & sibi nutriri, & secure vivere: etiam devorari.

FAB. XXIV.

LEPORES ET RANÆ.

Admonet subsequens Fabula, quod omnis homo debet patienter tolerare & sustinere quicquid mali ei acciderit. In nullo enim terrarum loco assidua securitas est, ita ut nihil timeat.

Ferunt Fabulæ jam dudum timidos Lepores synodum fecisse; in quâ firmum pactum inter se factum est, ut primo pavore illis superveniente omnes ad rupes marinas fugerent, & se illic in ima præcipitarent, ne cotidie assiduum timorem paterentur fugiendo. Itaque primo timore supervenien-te omnes Lepores fugientes ad ripam cujusdam fluminis, ubi Ranæ multæ erant, pervenerunt. Sed Ranæ ubi sonitum fugientium Leporum audierunt, omnes in profundum fluminis fugientes sese abdiderunt; quod Lepores videntes stupefacti perstiterunt. De quibus unus sapientior omnibus inquit: Videte quod omnis creatura habet

quod

quod timeat; non nos soli aliquid mali patimur. Redeamus ad provinciam nostram, a & illic patienter quicquid nobis evenerit, diligamus vitam nostram, sicut omnia animalia diligunt; & feramus quicquid evenerit, sicut illa sustinent; forsitan non cotidie fuga nostra fiet.

a *Et illic patienter quicquid nobis evenerit*] Deest verbum *feramus*, quod ex sequentibus huc retrahere oportet. Sed quum sic bis idem dicat, magis arridet hæc lectio *et illic patientes quicquid nobis evenerit diligamus.* Cæterum quia elegantius hanc fabulam exposuit ed. Romulus, ejus exemplo te priuare religiosum duxi. *Tempora tolerari debent, et homines tempori cedere; qui ut malum tolerare possint, aliorum mala respiciant. Nam cum strepitus magnus ad Lepores subito veniret ex arborum concussione, consilium simul fecerunt, ut se præcipitarent propter assiduos metus; et euntes ad oram fluminis venerunt, ubi multa erant Ranæ. At illæ ubi agmen seu multitudinem Leporum viderunt ad sese venientem, expaverunt valde, et in fluvium se jactaverunt. Hæc ubi Lepores viderunt, unus ex illis ait: Sunt, inquit, et alii timentes. Sequamur ergo vitam ut cæteri, quam natura dedit, et si quid adversi evenerit, feramus patienter; neque enim erit toto tempore malum.*

FAB. XXV.
LEO ET PASTOR.

Admonet subsequens Fabula, quod debent reddere vicem potentes beneficii accepti ab inpotentioribus; & quamvis per longum tempus fuerit, non oblivioni debent tradere, sed reddere multipliciter.

Quodam tempore dum Leo in saltu quo-

dam venandi gratiâ oberraret, surculum quoddam calcavit, de quo spina quædam in pede ejus nocibiliter intravit; quo facto [a] collecta intus sanies, claudicare cœpit. Qui cum medicos ubique quæreret, multo magis Homines, quantocius velocius possent, fugiebant, quia se tali bestiæ non crederent. Tandem nimio dolore permotus ad quendam Pastorem in deserto pecora pascentem venit; quo viso Pastor [b] pecora tali bestiâ abiciens fugam adiit. Sed Leo sequens Pastorem, relinquens, blandiri Pastorem caudâ suâ cœpit, sublevatoque pede suo vulnus Pastori demonstrat, qui [c] nec pecora nec Pastorem nocuerat. Tandem memor sui ingenii intellexit, quod medicinam infiniti doloris in pede quæreret; sumsit acutam novaculam, & paulatim aperuit vulnus; [d] patefactum contempsit; saniesque foras

a *Collecta intus sanies*] Ut congruus esset sermo, inducta una littera emendandum foret *sanie*. Sed cur in hoc scripto id nobis non liceat, patuit ad Præced. fab. 20.

b *Pecora tali bestia abiciens*] Facilé mutari posset in *objiciens*, quod Pastor fugiendo faciebat, & id verbum placuit Rimicii Romulo. Verum intelligit eum abegisse pecora, prout istam significationem observavimus ad fab. Præced. 17. Deinde crediderim excidisse aliquid, & legi debere, *Sed Leo sequens Pastorem, relinquens pecora, blandiri Pastorem* (ut laudata fab. 17) *cauda sua cœpit.*

c *Nec pecora, nec Pastorem nocuerat*] Defendit hanc constructionem Gudius ad Phædrum l. 4 f. 18.

d *Patefactum contempsit*] Lege *compressit* (nam hæc ab A. Gel-

ras cucurrit; atque ſpinam funditus eruit. Quo facto ſtatim Leo doloris ſenſit refrigerium, & in pretio medicinæ manum Paſtoris lingens linguâ ſuâ aliquantulum juxta Paſtorem reſedit, & reſumptâ virtute incolumis rediit. Poſt aliquantulum vero temporis Leo ipſe capitur in quodam beſtiario; qui amphitheatro cum aliis Beſtiis poſitus ad ludum potentum, & ad cruciatum reorum includitur. Evenit ut idem Paſtor pro quodam crimine captus in idem amphitheatrum ad paſtum Beſtiarum mitteretur: Qui Leo rapidus cum aliis Beſtiis inhianter adcurrens, prædam devorare paratus agnovit eum. Cui oculis & vultu atque caudâ blandiens cum ingenti rugitu occurrit, & ab omnibus Beſtiis aliis incolumen eum libe-

Gellio hauſiſſe videtur) & deinde *in pretium medicinæ.* Licet tantum mihi indulgere vix queam, quum plura aſperiora & ab Latinæ linguæ nitore abhorrentia hic inveniantur, ut ſunt *pro quodam crimine captus*, (quomodo tamen etiam Perpetua in Paſſione ſua, *dolui pro ſenecta ejus miſera*, & rurſus *Ego dolebam pro infelici ſenecta ejus*) *ab utriſque veniam precantes*, quod rurſus fab. 27 *ingratus ab utraque.* Nam *ad domum redire* archaïſmum ſapit, qui frequens eſt in Hygini fabulis. Tum *beſtiarium* appellat foveam, qua feræ capi ſolebant, ut fit Præced. fab. 18. & dein *beſtiarius* ei eſt ille qui beſtias cuſtodit, & Senecæ l. 2 de beneficiis c. 19 *magiſter* & in eadem Paſſione *venator* dicitur; quibus novis vocabulorum ſignificationibus hæc ætas mirifice ſibi placuiſſe videtur. Cæterum ut uno intuitu planum fiat, quantum editus Romulus ab noſtro diſcrepet, ejus narrationem ſubjeci. *In ſilva Leo*

liberavit, ingentem vocem elevans, & caudâ suâ circulum circa eum faciens, ita ut ne aliqua Bestia propius ad Pastorem accedere auderet. Ad cujus vocem Bestiarius, qui amphitheatrum & Bestias custodiebat, nec non & omnis populus, qui prope erat, festinanter occurrunt, cernuntque Leonem Pastori assistentem & ineffabiliter blandientem. Quod admirantes, causam tantæ inauditæ ante amicitiæ perquirunt. Qui [1] refert eventum rei ejus, quæ jam dudum Leoni evenerat, & suum in adjutorio studium. Quo miraculo permoti, ab utrisque veniam precantes Leonem ad silvam, & Pastorem ad do-

1 *fert*

cum erraret festinans in spinam calcavit; collecta intus sanie claudicare cœpit. Ferus autem Leo Pastori cum occurreret, sibi cauda sua blandiri cœpit pede suspenso. Perturbatus vero Pastor ut Leonem ad se venire vidit, pecudes ei objecit. Leo non escam quærens, sed potius ab illo medicinas petens, Pastori in sinum posuit pedem. Pastor ut vidit vulnus & magnam contusionem, quid Leo vellet, animo devolvit, & ingeniose cum acuta subula paulatim vulnus aperuit; & patefacta contusione effluxerunt simul spina & sanies. Inde se Leo curatum sensit, & pro medicinæ pretio manum Pastoris sua linxit lingua, ac lateri ejus assedit. Paulisper assumpsit vires & abiit incolumis. Post aliquantulum tempus Leo ipse capitur, ut sit in arena amphitheatri, & currat ibi. Pastor crimine oppressus datur ad Bestias eo loco, ubi Leo missus est. Pastor in arena dimittitur; at Leo feras ad illum dimissus cum impetu, quousque ad pastorem venit. Quem cum vidisset, & paulatim ambulans agnovit, oculos & vultum cum ingenti rugitu ad populum levavit. Deinde circa populum resiliens, bestiario assedit, invitans eum redire ad sua, nec hominem reliquit. Intelligens itaque Pastor Leonem sui causa diu-

domum redire permittunt. Hoc unicuique notum esse debet, quod omnis homo benefacienti sibi gratias referre debet, si habeat, unde reddat.

diutius stare, suspicatur illum esse Leonem, cui olim in silva notus fuit, cui contusionem aperuerat. Ambo autem & Pastor & Leo dimittuntur ut recedant; at Leo non recessit, sed Pastorem defendit. Populus autem, ut vidit, miratur, & causam de bestiardo quaerunt: Cumque redderet causam populo, omnes suffragio magno petunt illis indulgentiam. Et dimissi sunt simul, Leo ad silvam, et Pastor ad sua propria.

FAB. XXVI.

LEO ET EQUUS.

Profert sequens Fabula, quod omnis pravus malefaciens, & potentior debet cavere calliditatem impotentis, quamvis non timeat vires ejus.

Jam dudum Leo videns aliquem Equum in prato pascentem subtiliter velut familiaris improximavit illi, qui dixit se esse medicum; quod tum ficte loquebatur, ut posset apprehendere Equum, & devorare eum. Equus sentiens dolosum Leonem, & quod mortis periculum effugere non posset, officium simulatæ medicinæ a Leone accipere non repudiavit. In tempore necessitatis suæ ingenium quoddam ad defendendam vitam suam invenit. Qui Leoni inquit: Gratulor;

lor; veni, frater, succurre mihi & adjuva me; calcavi lignum insipienter, cujus pars atrociter in pede meo hæsit; obsecro te, erue illam foras. Tunc Leo [a] humiliter fraude dissimulans pedem Equi conspicere accessit. Cujus velociter Equus calces turbulentos in caput hostiliter dedit; rupit corpus hostile; cruor horridus per membra fluxit; jacet in terrâ diutius Leo; Equus velociter fugiens nusquam illi comparuit. At ubi Leo memor sui facti intellexit se capite & facie atque toto corpore læsum, ait: Digne hæc [1] passus sum, quia lenius quam

1 *passurus*

a *Humiliter fraude dissimulans*] Sic habet Mstus. Quod si servare placet, eodem modo intelligere oportet ut fab. 14 *fraudulenter vehementer cucurrerunt*, ut Leo quidem dolose accesserit, sed pravitatem illam tegens. *Fraudem* verò maluit editus Romulus, cujus stylus quum succinctior sit, eum contemnere nolui. *Equum pascentem vidit Leo fortissimus in prato. Hunc enim ut frangeret se subtiliter approximavit, ac veluti familiaris, qui se diceret medicum. Equus persensit dolum, sed non repudiavit officium, & eo appropinquante ad locum, invenit cito ingenium. Finxit se spinam et sentem calcatam habere; levato pede, Frater, inquit, succurre; gratulor, quia venisti liberare me; nam in spinam calcavi. Leo patiens accessit fraudem dissimulans, spinam extracturus. Cui velociter Equus calces turbulentos dedit, et in caput Leonis pedem violenter incussit. Cadit corpus hostile Leonis, et jacuit amens diutius in terra. At ubi vires resumpsit, memor sui factus, nusquam vidit Equum. Intellexit caput et faciem et totum se læsum fuisse, et ait: Digne hæc passus sum, qui semper lenius veniebam; hui etiam medicus fallax et familiaris accessi, qui inimicus venire debui. Ideo quod es debes fateri. Quod es esto, et noli mentiri.*

a Quod

quam debui veni; & medicus fallax accessi, quia inimicus venire debueram. [2] Moneatur ergo unusquisque, ut sit aut inimicus, & non simulet se esse, quod non sit.

2 *moneat*

FAB. XXVII.

QUADRUPEDES, AVES ET VESPERTILIO.

Ammonet subsequens Fabula, [a] quod nullus bilinguis & fallax homo non habeat honorem, quia longius probatus sit ab aliquo sapiente; qui se duabus partibus obnoxius commiserit, ingratus ab utrâque vivit, & reus potius judicandus est, quam honorabilis.

Jam dudum [b] omnia Quadrupedia cum omnibus Avibus toties invidi bellum ingens gesserunt, ita ut nulla pars alteri cederet ante magnum prælium utrarumque partium. Quod Vespertilio de tuto loco conspiciens in

[a] *Quod nullus bilinguis non habeat*] Est plane eadem repetitio duarum negationum quæ jam occurrit in Præcedenti fab. 28.

[b] *Omnia quadrupedia* &c. *toties invidi*] Est mirificus sermo, qualem Ms. Codex hic nobis dat, quam integrum fideliter expressi. Et perseverat in eadem terminatione paulo post *pace inter aves et quadrupedia facta*, quæ tamen ed. Romulo non placuit. Cæterum noster Romulus plane in omnia alia discedit ab edito; in vero tantum sibi non permisit, & ex quo fonte

in dubio positus, cui parti se conjungeret, aliquamdiu continuit, ut neutram partem adjuvaret, antequam videret, quæ pars alteri prævaleret, & tunc demum victoriam habenti se sociaret. Tunc demum cum majorem esse Quadrupedum aciem cerneret, Quadrupedibus se conjunxit, quia victoriam in multitudine esse sperabat. At vero Aquila cum adjutorio Martis adveniente victoriam Aves potitæ sunt; quam victoriam Vespertilio cernens Avibus se miscuit. Sed postea pace inter Aves & Quadrupedia factâ, Vespertilio sententiâ omnium Avium tali vindictâ condempnatus, ita ut lucem fugeret, pennis & plumis expoliatus, noctibusque semper volaret. Sic itaque oportet vivere, ut insidias & despectionem patia-

fonte suam fictionem hauserit, clara servavit indicia. Nempe quum Præcedens fabula 38. ita exhibeatur in Ms., ut inde Phædri metrum eruere potuerimus, sic egregius est hic Romulus editus, qui quidem pluribus narrationem proposuit, sed tamen ita ut pleraque verba retinuerit. Quæ causa me impulit, ut totam inseram. *Quadrupedes cum Avibus bellum magnum gerebant, et nulla pars alteri cedebat, et pugnabant fortiter, moriebant quidem facientes multas. At Vespertilio multos et graves timens eventus, quia superior erat Quadrupedum acies et magna, contulit se ad eosdem quasi ad victores. Subito veniens Aquila in manu Martis dextram agens, alas vibravit, et Volucribus se miscuit. Cesserunt Quadrupedes, et fuit victoria Avium. Et concordati sunt Quadrupedes cum Avibus in pristinam pacem redeuntes. Vespertilio vero sententia Avium condemnatus est, eo quod suos reliquerat, ut semper lucem fugiat, expoliatusque plumis noctibus volet nudus.*

a Jam

tiatur ab omnibus, qui suum proprium Seniorem, & socios proprios in die necessitatis eorum dereliquit & alienis præbet adjutorium.

FAB. XXVIII.

LUSCINIA, ACCIPITER ET AUCEPS.

Ammonet subsequens Fabula, quod unusquisque insidiator debeat timere alios insidiatores, quia forsitan ille patiatur ab aliis, quod faciat his quibus possit.

In nido [1] Lusciniæ jam dudum cum sedisset [2] Accipiter, ut specularetur auras, parvulos ibi invenit [3] Lusciniæ pullos a matre dilectos. Ad quem [4] Luscinia cito supervenit, & deprecabatur parcere pullis suis. Cui [2] Accipiter ita respondit: Faciam, inquit, quicquid volueris, si modulatâ voce cantaveris. At illa quamvis animo excederet, tanto metu coacta, pavens & dolore plena cantavit. Tunc [2] Accipiter, qui prædam invenerat, Non bene, inquit, cantasti, & apprehendens unum de pullis devorare cœpit. Cui Auceps e diverso quidem advenit, qui calamum lento visco compactum elevavit, & Accipitrem tenuit.

K FAB.

1 *lucinie* 2 *aucipiter* 3 *lucinie* 4 *lucinia*

FAB. XXIX.
CERVUS AD FLUMEN.

Approbat ſubſequens Fabula, quod ſtultorum conſuetudo eſt laudare, quæ ſunt inutilia ſibi & aliis.

[a] Jam dudum Cervus ad quoddam flumen potandi cauſâ veniſſet, videns umbram cornuum ſuorum in flumine, nimium cornua ſua laudare cœpit, & crura tenuia ultra modum vituperare. Cumque hoc Cervus aliquamdiu juxta flumen meditaretur, ſtatim ut Canes latrare & Venatorum vocem audivit, fugâ Cervus per campum evaſiſſe fertur. At cum, ubi ſilva illum ſuſcepit, magnitudo cornuum eum venantibus retinuit, tunc mortem ſuam ille cernens ait: Et quæ erant utilia vituperavi, & quæ erant nociva laudavi.

a *Jam dudum Cervus*] Deſideratur hic quoque particula *cum*, qua neceſſario fulciendus eſt ſenſus.

FAB. XXX.
FEMINA ET MILES.

Ammonet ſubſequens Fabula, quod habent homines mortui, quod timeant poſt mortem, & non quod doleant.

Jam

Jam dudum quædam Femina [a] contulit se ad nnisibulum defuncti viri sui, in quo corpus ejus humatum erat, & cum multis diebus illic lugubrem vitam ageret, contigit, ut quidam Homo crimine comprehensus in cruce suspenderetur juxta illum locum, in quo ille defunctus erat sepultus; cujus Latronis crucifixi ad corpus custodiendum Miles quidam apponitur, ne quis noctu furaretur. Qui cum corpus custodiret, demum siti fatigatus ad illam Feminam, quæ lugubrem vitam ducebat, potandi causâ venit, a quâ cum potum accepisset, bibit, & subinde unde venerat, rediit; cumque frequentaret visitare Feminam consolationis ejus gratiâ, propinqui crucifixi Latronis advenientes furtim tulerunt cadaver de cruce, & revertens Miles crucifixum non invenit. Tunc fugiens ad pedes Mulieris volutare cœpit, cui sic ait: Subveni mihi; a te quæro consilium; nescio enim quid faciam. Cui illa miserans ait: Statim noctu consurgamus,

[a] *Contulit se ad nnisibulum*] En ipsas litteras sive potius lineas, quæ erant in Msto.; easque sic conjeci in textum, quia in formando inde Romuli vocabulo mihi nondum satisfacio. Utique monumentum vel conditorium innuere auctorem ex narratione Petronii, qui illis vocibus ibi utitur, manifestius quam ut indicari egeat, liquet. Ad has autem lineas proxime accedit, ut quidem ego putem, vox *vestibulum*, quam auctor potest videri usurpavisse ex ratione antiquorum sepulcrorum, quæ aliqui tam ampla &

mus, & [1] levemus Mariti mei cadaver de sepulcro, suspendamus illud in cruce pro crucifixo, & [2] celemus furtivum facinus. Detestabili misericordiâ Miles adductus & Mulier non erubescens aggrediuntur facere, quod meditati sunt. Tunc impudicum scelus Femina perpetravit, & quamvis ante casta esset, nefandi sceleris exemplum sequentibus se dereliquit.

1 *levamus* 2 *celamus*

& spatiosa exstruebant, ut etiam foribus clauderent; quod clarissime vel ex uno Petronio patet. Rimicii Romulus etiam non parum sibi indulget tam peregrina voce *mansceoli*, nescio an ex malo intellectu mausolei. Sed quia breviorem stylum servat, ipsam fabulam descripsi. *Femina quæ amiserat Virum, consulit se ad mansceolum, ubi maritus erat positus, ut lugubres ibi ageret dies. Contigit ut aliquis peccasset, & de lege accepit sententiam, & suspensus est in cruce; custos illi ponitur Miles, ne a suis noctu subtraheretur. Qui cum enim observaret, siti fatigatus post voces accessit ad mansceolum, aqua pusillum rogans. Accepit, bibit & exinde ipse abiit. Et quia illic viderat Feminam, rediit & consolatur eam; iterum id fecit & tertio. Et dum sæpe convenit, subtrahitur ille qui pendebat in cruce. Miles veniens non invenit cruciatum, confugiens ad pedes mulieres anxius volutare se cœpit. Illaque sic ait: Quid agam? quid vis ut faciam? At ille, Subveni, inquit, mihi; a te quæro auxilium. Illa misericors facta est Militi. Maritum de loco levavit, & in crucem nocte suspendit. Celatur furtivum facinus. Misericordia pro tanta militi oportuit officiari mulierem. Mulier non erubuit obsequi officioso, & quæ jam dudum casta fuit, scelus utrumque admisit.*

FAB. XXXI.
MERETRIX ET JUVENIS.

Refert subsequens Fabula, quod quidam per-

perfidi & fallaces homines simplices & innocentes homines per suam calliditatem suis bonis expoliant.

Jam dudum in quadam civitate quædam perfida & inverecunda Meretrix erat, quæ cum multos Juvenes incessabiliter accepisset, Juveni cuidam se adjunxit; & ille infeliciter infelici Meretrici se commisit. Cui illa nec plus quam ceteris fidem servavit, sed multis injuriis & impudicitiis eum fatigavit. Deinde Mulier ad eum sic inquit: Quamvis innumerabiles Juvenes multis muneribus circa me contendant, ego te plus omnibus illis diligo. Cui ille Juvenis memor quotiens ab eâ deceptus fuerat, ita benigne respondisse fertur: Et ego te, lux mea, vehementer diligo, non inquit, quod mihi fidem servaveris, sed quia jucunda es mihi; [a] & sic se verbis [1] deluserunt.

1 *deluserit.*

[a] *Et sic se verbis deluserunt*] Sic mutavi probante Romulo edito, cujus initium longe a nostro discedit hoc modo: *Quadam meretrix quæ erat perfida, multis cum blandiretur, invenit quem sæpe afflixerat injuriis: & ille facilem se præbuit propter usum.*

FAB. XXXII.

LUPI ET OVES.

Ammonet subsequens Fabula, quod nul-

lus debet defenſorem ſuum & auxiliatorem ſuum obſidem pro ſe dare, quamvis neceſſe habeat.

Jam dudum.[1] Lupi & Oves bellum ingens inter ſe gerebant ita ut nulla pars alteri cederet aliquamdiu. Oves enim & Arietes plures erant, & Canes paſtorales cum eis, quibus ſignum victoriæ cedere viſum eſt. Tunc Lupi legatos miſerunt pacem petentes jurando nunquam ſe læſuros eſſe Oves, ſi eis Canes ſuos obſides darent;[a] & illæ de illis cum Luporum Catulos acciperent; ita undique fecerunt, & ſacramenti fidem inter ſe dederunt. Sed Lupi acceptis Canibus omnes obſides ſuos necaverunt: Luporum quoque Catuli apud Oves ululaverunt. At Lupi ululatum Catulorum ſuorum audientes falſo putabant eos ab Ovibus necari. Concurrerunt undique ſimul, & dicunt pacem ab Ovibus ruptam eſſe; & omnes Oves laniari cœperunt, nullo tutore deferente auxilium.

1 *Lupus*

a *Et illæ de illis cum Luporum*] Ut planior ſit ſenſus, expungenda eſt penultima vocula.

FAB. XXXIII.
HOMO ET ARBORES.

Approbat ſubſequens Fabula, quod nullus

lus sapiens debet præstare inimico suo auxilium, ne ad necem suam aliquando ei veniet bonum, quod fecerit ei.

Jam dudum quidam Homo securi sibi factâ, ab Arboribus deprecabatur materiam manubrii dari sibi de ligno, quod esset firmissimum omnibus lignis. Omnes Arbores non intelligentes ejus manubrium, dari sibi de Oleastro jusserunt. Sumpsit Homo ille manubrium, imposuitque securim; aptatâque securi ramos & robora magna omnia, quæcunque voluit, indubitanter cœpit incidere. Tunc Quercus Fraxino ait: Juste & digne tanta mala patimur, [1] quæ roganti hosti nostro manubrium concessimus, quo nunc invento contra nos belligerat. Caveat ergo unusquisque sapiens, ne exercitum suum hosti suo concedat.

1 qui

FAB. XXXIV.

LUPUS ET CANIS.

Docet subsequens Fabula, quam dulcis & jocunda libertas est.

Jam dudum Lupus & Canis in quadam silvâ cum convenissent, dixit Lupus Cani: Unde venisti, frater? tam nitidus es & tam pin-

pinguis. Cui Canis ita respondisse fertur: Frater mi, sufficienter administratur mihi panis, & Dominus meus ossa mihi porrigit. Similiter & ceteri mihi faciunt, & omnis familia amat me; projiciunt mihi quicquid illis superfluum sit, & quicquid fastidit, porrigit mihi familia; atque ita repletur venter meus, quia sum custos domus. Latrones venientes nuncio; nullus passim ingreditur noctu, nisi illum [1] adnunciem. Quapropter ab omnibus diligor; sub tectis cubo; aqua nullo congruo tempore deest mihi, & sic securus vitam duco. Cui Lupus ait: Habes bene & digne, frater. Vellem ut ista mihi contingerent, ut tutius saturarer cibo, & sub tecto melius viverem. Deinde Canis ait Lupo: Similiter & ita tam tibi bene contingat, veni mecum, & nihil est quod timeas; possum enim defendere te. Cui Lupis consensit. Cumque simul ambularent, vidit Lupus vestigium catenæ in collo Canis, quâ cotidie ligabatur, & ait: Quid est, frater, dic mihi, hoc quod attrivit collum tuum? Cui Canis respondit: Quia sum acris inde ligor, & eo quod nullus fur inde subrepit, nocte solvor, intra domum meam sum vagus; ubicunque voluero, sic discurro; dormio, quando voluero.

1. *adnunciam.*

luero. Et Lupus e contrario ait sic: Non est mihi opus ita pati. Fruere his quæ laudasti. Ego volo vivere libere. Peragro ubicunque velim; nulla catena me tenet; nulla causa impedit me; innumerabiles mihi viæ patent in campis, facilis aditus est in montibus & silvis; nullus mihi timor; de grege proprio gusto; Canes ingenio meo deludo. Vive ut consuesti: ego ut consuevi; vitam duco.

FAB. XXXV.

MEMBRA ET VENTER.

Refert subsequens Fabula, quia nullus debet despicere suos, ita ut non illis præstet necessaria sua, ut non despiciatur & ipse ab eis aliquo tempore, quando necesse habeat maxime.

Ferunt quod nemo aliquid valet sine suis, sicut non valent partes Corporis humani sine Capite & Ventre. Nam jam dudum [1] referuntur Manus & Pedes indignati fuisse Ventri; & noluerunt ei cibum dare, quod sine ullo labore cotidie replebatur, illo otiose sedente. Venter itaque per multos dies cotidie clamabat dari sibi cibum, priusquam defi-

1 *referunt*

deficeret. At illa nihil ei [a] dare voluerunt se vivo. At Venter & omnia Membra [2] lassescere cœperunt. Sed postea quando Manus & Pedes cibum illi dederunt, ille accipere non valuit, quia longa jejunia clauserant vas; ac per hoc Membra & Venter simul lassa interierunt.

2 *lacceßere*

a Dare voluerunt se vivo] Rursus Ventrem intelligens ludit in relativo admodum molesto. Cæterum meretur celebratissima hæc fabula hoc loco etiam conspici, quemadmodum edita est ab Rimicii Romulo, vel ideo quia tam parum ab nostro discedit. *Qui suos stulte deserit, se potius decipi sciat, nec aliquid valere sine suis. Nam ut dicitur: Partes Corporis humani scilicet Manus & Pedes indignati, Ventri cibum dare noluerunt, eo quod sine ullo labore quottidie repleretur, eo sedente otioso; ideo contra eum indignantes laborare noluerunt, denegantes servitium. Venter vero esuriens clamabat. At illi invidebant, & per aliquot dies dare noluerunt. Jejunio autem Ventre convicto, Membra omnia lassauerunt. Postea autem cibum dare volentes, recusat Venter, quia clauserat Stomachi meatus; sicque Membra omnia cum Ventre simul lassa interierunt.*

FAB. XXXVI.

SIMIUS ET VULPIS.

Subsequens Fabula increpat avaros divites, qui nihil de superfluis suis tribuunt inopibus.

Jam dudum cum deprecabatur Simius Vulpem, ut de magnitudine caudæ suæ aliquid illi largiret, unde nates [1] suas turpissimas

1 *suos turpissimos*

mas posset tegere, sic dixisse illi fertur: Quid tibi utile est de tantâ magnitudine caudæ tuæ sine causâ, nisi quod [2] enormis præpedit te fugientem? Cui Vulpis ita dixisse fertur: Utinam longior & major esset, ut vix per terram & petras atque spinas trahere eam possem! quamvis ita tam magna esset, nil tibi ex eâ darem, ne tu & tui filii meo tegmine pulcrior [3] videreris.

2 *inorme* 3 *videris*

FAB. XXXVII.

LEO REGNANS ET SIMIUS.

Narrat subsequens Fabula, quod multi tales tribulationes a potentioribus sibi illatas sustinent, [a] ita ut nec querelari pro timore eorum ausi essent, ne pejora sustineant; sed nec poterant reticere pro gravitate tribulationem in quibus præclarum illud proverbium impletur: Et laquei pœna non potest reticere conventum.

Jam dudum cum omnia Animalia indomita [1] [b] se superiora & fortiora timerent, Jovem

1 *sibi*

a Ita ut nec querelari] Est quidem hujus doctrinæ egregium exemplum in miseranda vastatione, quam Philippus subactis populis intulit apud Justinum l. 8 c. 5: verum satis mirabiliter illam huc trahit noster auctor.

b Sibi superiora & fortiora] Suo more dativum ponit non tole-

vem adierunt deprecantes ab eo unum Regem, qui leges & mores Regum eis clementer demonstraret, & pie regnaret, ne unaquæque Bestia possit aliis, ubi sunt leges, nocere; quibus consensit qualemcunque Regem eligerent. Tunc omnia unanimiter Leonem in Regem sibi eligere maxime pro suo pavore: putabant enim se sub illo postea tutius vivere quam antea, quando non dominabatur eis. Eâ tum conditione illum susceperunt, ut deponeret ante ferocitatem animi sui, & nullum alium læderet, & sine sanguine in perpetuo viveret, & incorruptam fidem adeo servaret; quibus omnia promisit quæcunque vellent. Postquam vero imperare cœpit, de promissâ fide pœnituit, & cum ante crudelitatem suam oblivisci non poterat, in quibusdam locis calliditate & fallaciâ usus quasdam Bestias secreto advocavit consiliandi causâ illius gratiâ. De quibus secreto interrogabat, [c] utrum os suum putriret, & si sua [2] anhelatio mutata erat pro inusitato cibo; & omnes Bestias, quæ dicebant os suum putrire, & [d] quæ

2 *anhela*

tolerandum, quem ut sæpe aliis mutavi. Sed optime Romulus editus Phædri verba retinet incipiens *Cum se Ferarum regem fecisset Leo fortissimus, voluit more regum* &c.

c *Utrum os suum putriret*] Eadem terminatione quæ in Præcedenti fabula *putit*, quarum neutra placuit Romulo ed. qui habet *fœtet* & *putet*.

d Quæ

[d] quæ dicebant non putrire, æqualiter crudeliter necabat, ita ut saturaretur sanguine. Cumque multis hæc fecisset, novissime Simium interrogavit, si putredinem in ore haberet. Tunc callidus ille insidias Leonis agnoscens ita respondisse fertur: Sic mihi tua [3] anhelatio videtur similis esse, sicut odores cinnamomi & omnia genera incensorum, quæ circa Deorum altaria frequenter incenduntur. At Leo laudatorem suum occidere erubuit, sed tamen consilium quo illum occideret sine verecundiâ, quæsivit. Tunc languescere se simulavit. Continuo omnes Bestiæ visitare Regem suum undique concurrerunt, Medicos ubique quæsierunt; qui ut pulsum sanum omnium venarum viderunt, [e] dixerunt nullam infirmitatem in eo cognoscerent. Tunc [4] suaserunt aliquem insuetum cibum & suavem sumere, ut tolleret fastidium pro digestione. Tunc ille ait: Nullus mihi cibus tam desiderabilis, sicut & illius [5] Simii, sed pro fide datâ & ve-

3 *anela* 4 *suaderunt* 5 *simine*

d *Quæ dicebant non putrire*] Nimium Romulus tertium quoque fingit genus hoc modo: *& illos qui dicebant, Fœtet & putet, ac illos qui dicebant: Non putet, aut tacebant, omnes laniabat.*

e *Dixerunt nullam infirmitatem*] Insere particulam *quod*, quæ omissa est in Msto. Romulus ed. ita pergit in narratione, ubi eam Præcedens fabula 49 claudit: *Leo erubuit laudatorem, ut illi tunc parceret: sed ut læderet, mutavit fidem & quæsivit fraudem,*

L Idu-

verecundiâ facere non ausus sum: Cui dixerunt aliæ Bestiæ: Habes licentiam facere quicquid volueris, sicut & ceteri Reges habent. Et quanto magis pro tuâ vitâ nos omnes, debemus pro tuo dolore necari?

languere se simulans. Et continuo venerunt Medici, qui venam considerantes, pulsum bonum ut viderunt, suadent sumere cibum levem, ut tolleret fastidium pro digestione. At Leo (ut Regibus omnia licent) Ignota est mihi, inquit, caro Simiæ; eam probare vellem. Ut est locutus, statim adductus est Simius, ut ejus carnem sumeret. Licet bene prius locuta fuerit, nunc tacita ducitur ad tormentum et necem.

FAB. XXXVIII.

LUPUS, BUBULCUS ET VENATORES.

Demonstrat subsequens Fabula, quod multi infideles fiunt corde & oculis, quamvis fidelitatem [1] simulent verbis.

Jam dudum cum Venatores & Canes impius Lupus effugeret, ad quendam Bubulcum in quodam deserto advenit. A quo cum Lupus petisset refugium, Bubulcus demonstravit ei quendam locum iam tutissimum, in quo se reconderet, ut facile Canum & Venatorum periculum evaderet. Cui Lupus ait: [a] Obsecro te per omnes spes tuas,

1 *simulantur*

a *Obsecro te per omnes spes tuas*] Sic elegantissime describit gregem Bubulci, utpote in quo omnis ejus spes sita erat, ad exemplum Virgilii, qui in Ecloga 1 capellæ gemellos

tuas, ne me persequentibus prodideris, quibus me nihil fecisse juro. Cui Bubulcus ait: Ne timeas, securus esto; dicam enim te in aliam partem fugisse. Tunc cum Lupus ad tutelam confugisset, & Venatores cum Canibus advenientes interrogaverunt Bubulcum dicentes: Vidistine ubi Lupus confugit? Quibus Bubulcus ait: Jam cum vos vidisset longe, per aliam viam discessit; & manu ostendit iter, oculisque innuit, per quam viam effugerat. Tunc Venatores cum Canibus retrorsum [2] domum rediere. Postea Bubulcus ait Lupo: [3] Quantas mihi gratias agis, eo quod tam feliciter celavi te? Cui e contrario ait Lupus: Ingentes gratias linguæ tuæ & manui refero, quia mihi valde fideles fuerunt: sed oculis tuis fallacibus cœcitatem advenire desidero, quia tam frequenter inspexerunt locum, ubi absconditus eram.

FAB.

2 *domi* 3 *quanta*

tos appellat *spem gregis*, & quæ congessit Gronovius avus l. 3. Observ. c. 23. Nec tantum Rimicii Romulus istam locutionem retinuit, verum in principio quasi hujus fabulæ auctorem, a quo eam mutuatus est, aperte designans scribit: *Qui videtur verba blanda habere, & infidelis est, peccat in corde suo, et hoc argumento se describi intelligat*, ubi quinque posteriora verba Phædri versum, qualis exstat l. 4 fab. 7, constituunt.

FAB. XXXIX.

PAVO AD JUNONEM.

Refert subsequens Fabula, quod omnis homo debet dimittere libenter quod non habet, & frui illis donis, quæ Deus illi concesserit.

Jam dudum Pavo ad Junonem dixisse fertur: Jam, domina, [a] me vehementer doleo, eo quod iratus & indignatus despectus sum ab omnibus, quia Luscinia pulcrius & honorabilius me canit, quapropter ab omnibus [1] derideor. Cui Juno ait [2] consolandi gratiâ: Pulcritudo formæ tuæ omnes aereas volatiles præcellit colore & nitore; [b] sicut smaragdus perfusus. Nulla enim Avis similis tibi est.; picta enim es plumis similibus fulgentibus gemmis. Color tuus omnibus ful-

1 *deridor* 2 *consulandi*

a Me vehementur doleo] Agnosco citeriorem Latinitatem, quæ hæc attingere non permittit. Tum male ordinata est verborum series, quam sic instaurandam puto, *dolor iratus, eo quod indignatus et despectus sum.* Minus a Phædro aberrat editus Romulus, *Pavo ad Junonem venit iratus et indigne ferens, quod Luscinia et humana agnosceret, et quod id idem sibi non esset datum, sed ob ejus vocem dixissem ab omnibus deridere-tur.*

b Sicut smaragdus perfusus] Non dependent illa ab præcedentibus, unde majore distinctione ab iis separavi. Hæc plane alio modo Romulus editus. *Visus tuus super vocem, et forma tua superat Lusciniam; colore et nitore smarag-*

fulgoribus terrestribus præcellit. Et Pavo ad Junonem sic ait: Quid mihi color [3] proficit, quia superor voce Lusciniæ. Cui Juno iterum ait: Custodi quod habes, & dimitte quod non habes.

3 proficit

rugdi perfusus; nullus similis tibi; pictusque plumis, gemmis, cauda et collo refulges. Et Pavo ad Junonem sic ait: Quid mihi hæc sunt? Vincor voce. At Juno, Fatorum, inquit, arbitrio a diis data sunt partes omnibus vobis. Tibi nitor coloris et forma major, virtus Aquila, Luscinia cantu vocis auguria sumit, Corvus crotitare captus, Columba semper tristatur, ritus Gruis ostendit tempus et in oliva parit tarde, Fisoedula prolivida plumis, lucifera gaudet Hirundo, nudus sero volat Vespertilio, Gallus novit noctis horas, unaquaque abundat in suis. Tu igitur noli quærere nisi quod accepisti a diis.

FAB. XL.

OVES ET LANIUS.

Docet subsequens Fabula, quod male intereunt propinqui & amici, qui non habent curam uno ex illis & duobus vel tribus occisis, quia unus post unum æqualiter sine ultione occideretur.

Jam dudum cum Aries & [1] Verveces atque Oves simul in campo pascerent, viderunt Lanium inter se in campum venire, qui statim ut advenit, unum [2] Vervecem ex eis tenuit, cujus caput confestim amputavit. Cumque omnes Oves hoc cernerent, nec pro illâ causâ dolerent, nec fugerent, dixit

1 berbices 2 berbicem

dixit ille Lanius: Quis me prohibet omnes occidere? nullam video Ovem iratam, eo quod hunc propinquum occiderim. Quo dicto cœpit truncare multas Oves unamquamque post alteram; quod Oves demum cernentes, dixit una ex eis: Non tangit me, quapropter non doleo, neque contradicere volo. Tunc omnes occisæ sunt excepto Ariete uno. Cumque ille Aries æqualiter ut ceteri ᵃ a Lanio subtrahi videret, sic dixisse ille fertur: Digne hanc vindictam omnes singulatim a te solo patimur, eo quod quando te primitus vidimus unum ᵇ Vervecem nostri generis occidere, tunc statim fortibus capitum nostrorum impulsibus non occidimus te.

ᵃ *A Lanio subtrahi videret*] Interpone relativum *se*, vel cum Romulo edito lege *se trahi*, cujus en ipsam fabulam satis a nostra diversam. *Vervices in collecto cum essent una cum Arietibus, Lanium videntes inter se intrare dissimulaverunt. Cum autem unum ex se cernerent mortifera manu Lanii teneri, etiam nec sic timuerunt, sed inter se incaute dicebant: Hunc tangit; dimittamus; trahat quem trahat. Novissime remansit unus. Cum se ipse similiter se trahi videret, se dixisse Lanio fertur. Digne sumus laniari singillatim ab uno, qui hoc non prospeximus, dum essemus simul, et te in medio nostro positum aspeximus, et capitis impulsionibus quassatum confractumque non occidimus.*

FAB. XLI.

HOMINES DUO FALLAX, VERAX ET SIMII.

Docet subsequens Fabula, quod malitia &

& fallacia & adulatio malivolis & fallacibus hominibus placet; veritas autem atque bonitas semper fallacibus displicet.

Jam dudum duo Homines unus Fallax & a alter Verax quasi quandam in Simiorum regionem venerunt; quos Homines ut vidit ex multitudine Simiorum, qui se aliis Simiis priorem suapte constituerat se, jussit teneri & interrogari, quid ipsi Homines de illo dicerent. Et jussit omnes alios Simios sibi similes adstare ante se. Quos ordine longo dextrâque lævâque consistere sibi præcepit, jussitque epulas & convivium sibi parari, & multos ministros de nobilibus Simiis sibi adstare more Imperatoris, quem aliquando ille Simius alicubi convivantem conspexerat. Jubentur ergo isti duo Homines inter ministros illos adsistere; quibus ille Simorum Dux interrogans inquit: Quid vobis de me videtur? Quis ego sum? Cui ille Fallax primitus respondit: Tu es, ut mihi videtur, Simiorum Imperator. At ille Simius iterum Fallacem illum interrogans inquit: Quid tibi videtur de his, qui circa me sedent, & qui ante me stant? Cui ille

a *Alter verax quasi quandam*] Penultima vox quid operetur, mihi non liquet, nisi illa idem significare velit, quod *simul* in Præcedenti fab. 51, quam Romulus editus imitatur.

ille Fallax ita respondisse fertur: Hi sunt tui Comites, Proceres, Satellitum doctores, & Milites, & Ministrales, & officiorum Procuratores, & subditi. Quapropter ille Simius cum omnibus sociis suis remunerari illum Fallacem adulatorem praecipit. Ille autem Verax homo hæc apud se ajebat: Si iste Fallax pro suâ fallaciâ tantis muneribus remuneratus est, quid mihi veridico dabitur, si veritatem interrogatus dixero? aliter enim non suetus de aliquo dicere. Cumque hæc secum deliberaret, interrogavit eum prædictus Simius, ita inquiens: Quid tibi de me videtur, & de his qui mecum sunt? At ille veritatem amans semper ita respondit veraciter: Simius es, & omnes isti Simii sunt; æquales tibi sunt: nullam enim in te bonitatem possum cognoscere plus omnibus his. Quapropter continuo illum lacerari jubet dentibus & unguibus omnium, quia veritatem dixerat. Hoc modo honestas & veritas ab impiis & fallacibus laceratur.

FAB. XLII.
ASINUS ET LEO.

Profert subsequens Fabula, quod multi insipientes & impotentes putant potentiores

se-

se & fortiores posse verbis suis inanibus comminari.

Jam dudum quidam Asinus occurrens Leoni in quodam deserto sic dixisse illi fertur: Ascendamus in cacumina montis, & ostendam tibi, quia multæ Bestiæ me timent. Cui Leo subridens ait: Ascendamus. Cumque venissent ambo ad cacumen montis, Asinus stans in edito loco horribiliorem vocem in imo pectore profudit; quam ut audierunt omnes Vulpes & Lepores, præcipiti cursu fugierunt; putabant enim & Leonem æqualiter terrere voce suâ. Cui Leo e contrario sic dixisse fertur: Si te non nossem quis esses, posset me terrere vox tua: sed quia scio nil penitus contra me valere, pro nihilo vocem tuam reputo. Quapropter terrorem vocis tuæ converte ad alias Bestias, quæ te nesciunt, quia ingratus es: me autem [1] terrere ulterius ne audeas; & ideo potius deridendus es, qui nihil propriis viribus facere vales, & tamen alios inanibus verbis comminaris.

[1] terreri

FAB. XLIII.

LEO DEFICIENS ET VULPES.

Demonstrat subsequens Fabula, quod quidam in aulam potentioris facile ingredi possunt,

sunt, egredi vero cum voluerint, non facile possunt.

Jam dudum Leo deficiens * pro nimio itinere lassescendo, gravem infirmitatem se habere fingebat calliditate usus, cum nullam venandi virtutem haberet. Ad quem visitandum omnes eremi Bestiæ intraverunt; sed continuo [1] introgressas Leo ille necabat. Vulpes vero veniens ante speluncam stat, & salutavit eum familiariter. Cui Leo sic ait: Quare non intras? At Vulpes inquit: Quoniam video vestigia introeuntium, exeuntium vero vestiga non video. Quapropter quorundam exempla doctrina nostræ salutis esse debent, quia in domum potentis facile quisque intrat, exire autem non omnibus æqualiter licet.

1 *introgressos*

* *Pro nimio itinere*] Mallent alii *pro*; sed noster suo more loquitur, ut ad fab. 25 notavi, Romulus ed. hic fere iisdem verbis utitur, quæ occurrunt in Præced. Fab. 59.

FAB. XLIV.

HOMO ET LEO.

Profert subsequens Fabula, quod audacia & ceteræ virtutes non in verbis, sed in factis consistunt, quia omnia factis probanda sunt, non inanibus verbis.

* Jam

[a] Jam dudum Homo & Leo quandam inter se contentionem habuerunt, quis illorum esset superior & audacior. Cumque hujus altercationis testimonium quærerent, dixit ille Homo: Veni mecum ad unum tumulum, atque illic ostendam tibi pictam esse imaginem Leonis occisi ab Homine. Cumque ad tumulum [1] illum ambo venissent, simul demonstravit Leoni hanc imaginem occisi Leonis ab Homine. Cui Leo inquit: Quis hanc imaginem pinxit? Ad hæc Leo ait: At si Leo pingere nosset, Hominem a Leone superatum pingeret. Cui Leo iterum dixit: At tu veni mecum, & demonstrabo tibi verum testimonium, ubi Leo Hominem suffocavit. Et veniunt, ubi multi rei in amphitheatro inclusi erant, & dixit illi Leo: Hic colorum testimonia non sunt,

1 *illud*

a *Jam dudum Homo & Leo*] Sic tenet eandem orbitam noster, ubi editus Romulus fere Præcedentem fabulam 52 repræsentat paucis tantummodo verbis immutatis, quamobrem illam apponere debui. *Homo & Leo cum inter se certarent, quis esset superior, & quærerent hujus altercationis testimonium: cum venissent ad monumentum, ubi erat pictura, quomodo Leo ab Homine suffocaretur, ostendit Homo illi testimonium in pictura. Cui Leo ait: Hoc ab Homine pictum est, nam si Leo pingere nosceret, se pictum videres, quomodo Leo suffocasset Hominem. Sed ego, inquit, dabo tibi verum testimonium. Induxit Leo Hominem ad amphitheatrum, & ostendit illi vera fide, quomodo Homo a Leone suffocatur, & dixit: Hic colorum testimonia non sunt, sed opus veritate factum. Hæc fabula probat mendacium coloribus compositum a veritate cito superari, ubi est probatio certa.*

ſunt, ſed opus factum veritate firmatur. Quapropter hæc Fabula probat mendacium colore compoſitum veritate ſuperari; & veritas ſemper ſolet clarius clareſcere, quamvis ab inſipientibus deſpiciatur.

FAB. XLV.
FORMICA ET CICADA.

Docet ſubſequens Fabula pigros & otioſos homines, ut ſoleant, & ut ſtudeant uti laboribus tempore condigno, ne in nimio frigore ad [1] oſtia laborioſorum hominum mendicantes inaniter ſtent; & nihil eis inde proficiet.

Referunt Fabulæ quondam Formicam jam dudum hiemis tempore cum ſuis [2] ſatellitibus ad epulas cotidianas conſediſſe, ad cujus fores quædam Cicada eſuriens mendicans ſtetit deprecans, ut Formica aliquantulum ſibi cibi daret, quo poſſet vivere. Cui Formica ita reſpondiſſe fertur: Quid feciſti in æſtate, quando ego laboravi? At Cicada contra reſpondit: Non habui licentiam operandi in æſtate, quia per ſegetes oberrabam cantando ingratis. Tunc Formica epulata dixit illi: Si æſtate cantaſti, hieme ſalta; & quia nihil mecum laboraſti tunc, nullam retributionem ad te de meis bonis volo.

1 *hoſtia* 2 *ſatilitibus*

Explicit liber Æſopi.

FINIS.

Sequentes Fabulæ reperiuntur quoque apud editum Romulum, cujus ne quid desideretur, & quia nonnullæ Phædri phrases diserte exhibent, eas in postremo agmine collocavi.

LIBRI I. FAB. XII.

De duobus Milvis.

QUi semper blasphemat, in angustia quid rogat; videamus qualem autor noster subjecit fabulam.

Milvus cum ægrotaret, & multis mensibus infirmus jaceret, nec amplius spem vitæ jam esse videret, matrem lacrimando rogabat, ut sancta loca circuiret, & pro salute illius vota magna promitteret. Faciam, inquit, quod vis, fili; verum ne non impetrem illud vereor, nate, & vehementer timeo: nam omnia delubra vastasti, & cuncta polluisti altaria, nec sacrificiis pepercisti. Quid vis ergo, quod orem? Audiat hæc qui commisso malo audet

1 *Milvus cum ægrotaret*] Mire hujus fabulæ verba cum iis, quæ ex Msto produxit Cl. Gudius, congruunt; quapropter præ reliquis hæc minime contemnenda est.

det in malis suis loca sancta circuire maculatus: sed faciem ejus & manus lavare debet, ut facta ejus mala prius deleantur.

LIBRI II FAB. XIV.

De Lupo & Capite hominis.

De parum sapientibus sic autor dixit fabulam.

Personam Tragœdi Lupus in agro invenit, quam semel & iterum vertit. O quanta species! ait, & cerebrum non habet neque sensum. Hæc fabula de illis qui gloriam & honorem habent, prudentiam vero nullam. Et ostendit quod bona animæ, ut sunt prudentia, sapientia, acutum consilium, multo præstantiora sunt bonis corporis & fortunæ.

FAB. XVI.

De Musca & Mula.

Aliquanti cum nihil sint, irascuntur melioribus, & graviter facere minantur, quæ facere nequaquam possunt. Sicut Musca quæ sedit in temone, & Mulæ juncta; Quam tarde ambulas? ait. Ambula; nam pungo tibi cervicem. Sic Mula dixisse fer-

tur;

tur: Verba tua non pavesco, sed hujus Mulonis & Aurigæ, [1] qui prima sella sedet, qui frenis ora regit, & loris iter flectit flagello excusso: nobis potius hic timendus est. Tu autem insolens & vana, quæ nihil aliquando vales fortioribus facere.

1 *Qui prima sella sedet*] Notandum, quod ad Phædrum hac eadem fabula Cl. Gudius citavit Romulum lib. 2 fab. 17, unde hæc verba decerpsit. *Qui prima sella sedet, Qui frenis ora temperat, & loris Interflectitur flagello excusso.*

LIBRI III FAB. III.

De Equo, Asino, temporibus & fortunis.

Quæ sunt illa, quæ temporibus & fortunis non subjiciuntur? ideo qui se sciunt esse felices, nulli faciant injuriam, dubiamque meminerint esse fortunæ rotam, ut narrat hæc fabula.

Equus quidam ornatus freno & sella ex auro & argento & lapidibus preciosis, decorus membris & juvencus occurrit Asino in loco angusto, longe venienti & onusto; & quia illi [1] Asinus tardius dederat viam, eo quod propter longum iter lassus erat, dixis-

1 *Asinus tardius dederat viam*] Hæc & pleraque alia sunt plane eadem verba, quibus hæc fabula exponitur inter nostras Antiquas num. 37, cui propter exactam con-

dixisse Equus Asino fertur: Vix satis, inquit, me teneo, ne te calcibus rumpam, qui obvianti mihi non cessisti, & stares, dum transirem. Terrore illius & superbia tacuit miser Asellus, & cum gemitu testatur Deos. Deinde non longo peracto tempore Equus ruptus currendo, nullam jam habens diligentiam, gratiam & placentiam, macer effectus est. Jubet Dominus, ut ducatur ad villam, ut portet stercus in agros. Accepit Equus ornamenta rustica, & onustus ibat per semitas. Asellus ille in prato pascens cognovit Equum jam infelicem, quem tali sono increpat: Quid tibi proderunt illa ornamenta preciosa, ut contra me talem sumeres audaciam. Nunc & tu nostris fungere rusticanis officiis. Ubi nunc est tua audacia? ubi sella? ubi nitor ille aureus? ubi corporis decor in maciem conversus? Omnia bona conversa sunt in infelicitatem. Monet hæc fabula potentem non despicere pauperem tempore felicitatis, ne incidat in morsus malorum. Monet etiam quod tempore prosperitatis & sublimationis in magistratum aut dignitatem, non simus arrogantes, & in pauperem popellum non stomachantes, quoniam Dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

FAB.

venientiam subjungi debuerat; quam ob causam hic repeti meretur.

FAB. VIII.

De Junone & Venere & aliis feminis.

De personis Feminarum autor posuit talem fabulam.

Diis Deabusque præsentibus Juno laudabat castitatem; persuadebat enim melius esse ut Femina uni Viro esset conjuncta, proprioque Viro sufficeret. At Venus jocandi causa interposuit dicta Gallinarum. Cum interrogaret patientem & taciturnam domesticam suam Gallinam, quantó posset satiari cibo, dixit illa: Quodcunque accepero, habundat mihi, & econtra scalpo. Venus contra huic Gallinæ dicitur coram ipsis dixisse: Ne scalpes, do tibi modium tritici. At Gallina sic ait Veneri: Si horreum mihi patefacias, adhuc tamen scalpo; ad quod dictum Juno risisse dicitur. Sic etiam hodie plures Feminæ didicerunt Maritis silentium imponere.

FAB. XI.

De Patre & Filio sævo.

Minores oportet domare, quia majores domare perdifficile est.

Quidam Pater familias sævum Filium habebat; nam foris quotidie manebat, & Servi pro eo vapulabant. Tunc sic Herus ait Servis per fabulam. Quidam Homo rusticus junxit Vitulum majori Bovi, Vitulus vero calce & cornibus ejiciebat jugum à cervice. Bovem vero cum contunderet Vitulus, Rusticus Bovi sic ait: Non ut laboretis vos jungo, sed domitare volo minorem; nam cum per calces vagas & cornua aliquem læserit, lapidibus & fustibus debilitabitur. Sic oportet quenquam filios suos domare juventutis tempore, quemadmodum Leonis sævicia domatur cum caniculæ modica percussione.

LIBRI IV FAB. I.

De Vulpe & Uva.

Vulpes cum racemos Uvarum plenos ac maturescentes prospiceret, cupida de illis manducare, omnem viam & saltandi & scandendi est machinata, qua illos habere posset. Sed cum omnem viam frustra tentasset, nec desiderio satisfacere quivisset, mœstitiam vertens in gaudium ait: Racemi nimium adhuc sunt acerbi; si habere possem, tamen nollem comedere. Fabula hæc significat, quod pru-

prudentis est fingere se ea nolle, quæ consequi non posse cognoscit.

FAB. II.

De Mustela & sene Mure.

Ingenio quenquam facere debere, quod viribus non potest, instruit hæc fabula. Mustela quæ fuerat senex, & Mures insequi non valens, involvit se in farinam, & in loco obscuro se abscondit, volens de innocentibus sine suo labore prædam facere. Veniens miser ignarusque Mus quandam herbam putabat, peritque innoxius. Alter similiter capitur: deinde & tercius. Postremo venit major annis & Mus cautus, qui omnia noverat jam ingenia, muscipulas, caveas, laqueos, serpentes, & ceteras deceptionis machinas: cumque hostis insidias videret, dixisse fertur ad illam Mustelam: Inducis quidem Mures, & devoras innocentes; me tamen non capies improba, qui omnia ingenia novi.

FAB. V.

De Panthera & Agrestibus.

Oportet nos benivolos esse cuicunque pe-

regrino, & ignoſcere miſero, ne ſit qui reddat gratiam, ut hic ſubjecta fabula edocet. Panthera innoxia cecidit in foveam. Agreſtes multos vita innocens ſua prohibuit, ne morte eam affligerent; alii miſerunt panem; alii autem fleverunt hujus innocentiam, (ut ſunt variæ voluntates) alii fuſtibus feriunt; alii ſani ridentes permittunt; quidam dixit contra: Parcite innocenti, qui neminem lædit. Nox ut venit, illi abierunt omnes domum, putantes eam nocte perituram. Deinde illa vires ſuas ut refecit languidas, veloci ſaltu ſe ex fovea liberavit, & ad ſuum cubile properat timens. Poſt paucos dies memor injuriæ, irata ad locum pergit, pecudes illic trucidat, Paſtores diſſipans; in Aratores impetu ſævit agreſtes, & multa mala devaſtando perdit. Timent omnes, non curant damna tantum, ſed pro vita rogant. Tunc Panthera molliter ſic ad eos dixiſſe fertur: Nemini noceam, qui fuſtes non dederit, qui mihi ſaxo non nocuit, qui inique mihi non geſſerit, qui ire feſtinaverit, qui panem miſerit: ſed illis hoſtis revertor, qui me mori petierunt. Hæc improbi & injurioſi audiant, ne aliquem lædant.

FAB.

FAB. VII.

De Aucupe & Avibus.

Sapientes consilium non prætermittere, ammonet hic fabula. In verno dum exultarent Aves diversæ, & in nidis suis velatæ frondes ederent, insperato aspiciunt Aucupem lippum componere cannas suas, & festucas inserere visco. Illæ ignaræ & simplices Aves inter se sic narrare cœperunt: O quam pium hominem cernimus! nam nimia bonitate lacrymæ ex ejus oculis profluunt, dum nos aspicit. De quibus una aliis astutior, experta omnes dolos Aucupis, sic dixisse fertur: Heu fugite simplices & innocuæ Aves, & ab hac protinus vos eripite fraude, quam si placet cognoscere, ad ejus opera caute intendite, quia quas fraude coperit, morsu occisas in tumba interponit. Monet hæc fabula indubie fieri posse ab unius consilio multos liberari.

FAB. IX.

De Equo, Cervo & Venatore.

Inimicicias non ponere melius est, quam postea de inimiciciis, dum se de inimicis non

non valet ulcisci, pœnitere. Ita docet hæc autoris fabula. Equus & Cervus inimicicias inter se duxerunt. Cumque Equus videret Cervum in omnibus aptum & ex cursu leviorem, & corpore decorum, & arboreis cornibus ornatum, livore coactus ad Venatorem se contulit, cui ait: Est in prospectu Cervus ad videndum omnibus mirabilis, quem si ¹ venabulo poteris transfigere .....

¹ *Venabulo poteris transfigere*]. Reliqua desunt, quoniam aberat unum folium. Sed vix dubito, quin respicere voluerit Phædri fabulam 2 lib. 4 de Equo & Apro.

FAB. XIII.

De Asina ægra & Lupo.

Malo homini nunquam fides est adhibenda, quare hanc audi fabulam. Asinam ægram Lupus visitavit, & tangens corpus ejus quæsivit, quæ partes ejus corporis dolerent. At ipsa, Quas tu tangis. Lupus autem ut dolose visitans ad ingenium redit, & Asinam devoraturus interemit. Sic mali prodesse se fingunt bene loquendo, magis tamen nocere festinant.

FAB.

FAB. XIV.

De Hyrco majore & tribus minoribus.

Aliquando minores inter se detrahere solent majoribus. De hoc audi fabulam istam. Tres Hyrci minores cum viderent unum majorem fugientem & timentem, deridebant eum. Ille autem respondit eis: O desperati & ignari! si sciretis, qualem Hyrcum fugio, utique non derideretis. Sic sæpius potentibus personis ab inferioribus detrahitur.

FAB. XVIII.

De Gladio & Viatore.

Homo malus multos perdit, pro hoc audi fabulam. Gladium Viator invenit in via, dum ambulat, jacentem, quem interrogavit: Quis te perdidit? Cui tale contra responsum dedit: Me quidem unus perdidit, ego vero multos. Hæc fabula narrat malum posse perire, sed ante multis nocere.

FAB.

FAB. XX.

De Abiete & Harundine.

Qui superbo & duro corde sunt, & nolunt se subdere Domino suo, solet eis evenire sicut arbori Abietis, quæ veniente vento noluit se flectere? stetit autem juxta eam Arundo, quæ vento veniente flectebatur in quancunque partem ventus eam movebat. Et dixit ad eam Abies: Quare non stas firmiter sicut & ego. Respondit Arundo: Non est virtus mea ut tua. Et dixit ad eam Abies: Et ideo scire potes, quia fortior te sum. Venit autem ventus validus, & Abietem projecit in terram, Arundinem vero dimisit. Sic sæpe projiciuntur elati, dum humiles manent erecti.

FINIS.

